Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Io. Fr. Grvneri P.P.O. Miscellanea Sacra

Qvo Continentvr I. Dissertatio de itinere Paulli Hierosolymitano ad Galat. II. 2. - II.Dissertatio de tempore et loco scriptionis epistolae D. Paulli ad Timotheum prioris : III. Obseruationum in epistolam D. Paulli ad Romanos Specimen

Gruner, Johann Friedrich

Jenae, MDCCL.

urn:nbn:de:gbv:45:1-10992

Visual Library

Theol II
Af
82

Landesbibliothek Oldenburg

Theologie
II, A, f
/82

Landesbibliothek Oldenburg

Landesbibliothek Oldenburg



Landesbibliothek Oldenburg

IO. FR. GRVNERI
P. P. O.

MISCELLANEA SACRA

FASCICVLVS PRIMVS

QVO CONTINENTVR

I. Disertatio de itinere Paulli Hierosolymitano ad *Galat. II. 2.*

II. Disertatio de tempore et loco scriptionis epistolae D. Paulli ad Timotheum prioris

III. Obseruationum in epistolam D. Paulli ad Romanos Specimen.

IENAE
IMPENSIS SALOMON. FRIDER. BIELCKII
M DCC L.

Landesbibliothek Oldenburg

MISCELLANEA SACRA

Landesbibliothek Oldenburg

SVMME REVERENDO IN CHRISTO
PATRI
PERILLVSTRI AC MAGNIFICO VIRO

DOMINO
IOANNI LAVRENTIO
A MOSHEIM

SS. THEOLOGIAE DOCTORI
SERENISS. AC POTENTISS. MAGNAE BRITTANNIAE
REGIS A CONSILIIS ECCLESIASTICIS
ACADEMIAE GOETTINGENSIS CANCELLARIO

DOMINO AC PATRONO SVO
OMNI PIETATIS CVLTV VENERANDO

GRATIAM DEI LARGISSIMAM
PRECATVR

IOANNES FRIDERICVS GRVNER.

Landesbibliothek Oldenburg

SOLENT, qui ingenii ſui monumenta illustrium uirorum nominibus inſcribunt, multas plerumque causſas nominare, quibus ad tale quid faciendum impulſos ſe eſſe profitentur. Ego, qui has, qualescunque illae ſint, lucubrationes meas

Landesbibliothek Oldenburg

TIBI consecrare, VIR PERILLVSTRIS ac MAGNIFICE, audeo, id unum consilii mei rationem a maleuolorum etiam calumniis defendere satis puto; quod nullius, qui hodie eruditum orbem illustrant, iudicio tutius ac melius tradere illas me posse arbitratus sum, quam TVO. Ad historiam sacram spectant priores disertationes, cuius TE statorem ac uindicem nostra aetate omnes qui a literis non plane alieni sunt, agnoscere coguntur. Id TIBI cognomen aeterna scripta TVA iam dudum pepererunt, & omni etiam posteritati commendant. Eas disertationes excipiunt sacri codicis explanationes. Sacrarum autem literarum interpretationis quam TV peritus sis, eruditissimorum hominum plausus, quibus exegetica TVA scripta per omnem eruditum orbem celebrantur, satis ostendunt. Itaque quum hae, quas hic uides,

lucu-

Landesbibliothek Oldenburg

lucubrationes eas literas attingant, in quibus TV regnas; illas dum TIBI offero, VIR SVMME, alieni nihil offero, sed quod plane TVVM est, & quod TIBI omnino debui. Vnum fortasse ab instituto deterrere me potuisset; quod nihil TANTO VIRO tradi debet, nisi comtum atque elegans; quae a meo autem ingenio proficiscuntur, probe scio, quam ab ista laude remota sint. Et, fateor, haec tenuitatis meae conscientia aliquoties scribentis has ad TE literas manum retardauit, & a proposito paene auertit: sola TVA erga me beneuolentia, PATRONE MAXIME, huius audaciae meae patrona atque adhortatrix fuit. Recipe igitur hoc qualecunque optimis in literis tentamen eo animo, quo me inter clientes TVOS recepisti olim: recipe illud tanto fauore, quanta ego animi submissione & addictissimae TIBI mentis testan-

Landesbibliothek Oldenburg

ſtandae cupiditate id offero. TE autem, ad ornandas optimas literas unice natum, DEVS eccleſiae ſuae, Goettingenſi, cuius praeſidium es & dulce decus, academiae, immo uniuerſo erudito orbi, omnibusque TVIS quam diutiſſime ſeruet! Vale, VIR PERILLVSTRIS ac MAGNIFICE, & inposterum etiam ſummo patrocinio TVO commendatum me habe. Dabam Coburgi ipſs. Id. Ianuar. cIↃ IↃ cc xxxxix.

LECTO-

LECTORI BENEVOLO

S. P. D.

IOANNES FRIDERICVS GRVNER.

QVI *ita literarum in ſtudiis uerſantur, ut ſuis oculis uidere, quam aliorum credere malint; uſu iis non potest non uenire, ut diſſentire ab aliis interdum cogantur; nonnulla, quae alii iam uiderunt, probare & exponere luculentius, quam ab ipſis inuentoribus factum est diſcant; quaedam etiam, ab aliis uel plane neglecta, uel fruſtra tamen quaeſita, reperiant atque in lucem e tenebris producant. Hi igitur, ſi ſua cogitata magnis ſemper uoluminibus communicare*

cum eruditis uellent; non solum decantata saepius, & omnibus hinc notissima immiscere suis ad implendas paginas, & recoquere cogerentur; sed ingrati etiam suis lectoribus & molesti futuri essent. Bene igitur ex eruditissimorum hominum consensu agunt, qui, si quid habent, quod prodesse pluribus possit, id uel exercitationibus academicis orbi erudito exponunt; uel, ubi extra academiam, satis ita iubentibus, uiuendum ipsis sit, libellis certe, non libris, eruditorum examini subiiciunt. Quorsum haec dicantur, facile senties, Beneuole Lector. Praefationem scribo opusculis, quae e cathedra academica eruditorum disquisitioni exponere decreueram olim: iam, ex academia ante annum, & quod excurrit, ad aliam uitam euocatus, retracto, & fasciculos colligo. Eorum primum iam emitto, qui tentamina duo chronologiae N. T. & commentarii in epistolam D. Paulli ad Romanos perpetui specimen continet. Olim, quum in academia libros N. T. auditoribus explicarem, plura obseruaui perperam tractata ab interpretibus. Spes etiam

Landesbibliothek Oldenburg

iam affulserat chronologiae codicis N. T. uariis in locis emendandae. Eius rei specimina, ut harum literarum peritorum iudicia elicerem, edere placebat. Ex iis duo priora hoc uolumine exhibeo; reliqua certas ob causas secundo fasciculo seruanda fuerunt. Primum de itinere Paulli Hierosolymitano ad Gal. II. 1. agit. Id ad chronologiam uitae Paulli non leue momentum habet. Fuerunt iam ante, qui idem, quod ego, de eo itinere sentirent: sed quum uiderem, illud aliter, quam oportebat, a nonnullis recens expositum esse; argumentum diligentiori disquisitione non indignum ratus, ueram sententiam ornare diligentius decreui. Quamuis igitur, quae dixi, non cuncta noua sint; neque tamen uulgata omnia reperies. Secundum in tempus & locum scriptae epistolae ad Timotheum prioris inquirit. De ea re frustra adhuc multos laborasse, ipsi doctiores fassi sunt. Eam igitur, quam in dissertatione de eo argumento ingressus uiam sum, sine arrogantia nouam dicere possum. Num etiam ueram? Id quidem iudicium doctioribus permitto: ego certe

de meliori admonitus & edoctus, beneficium me accepisse, fatebor. De obseruationibus in primum caput epistolae ad Romanos & partem secundi cogites, rogo, commentarii illas perpetui specimen esse; non obseruationum spicilegium. Minime igitur nil nisi noua ibi quaeres; probabis institutum, si quorundam locorum sententiam uerius & luculentius, quam factum ab aliis est, demonstratam uidebis; si sermonis seriem magis iam patere senties. Ego uero aliorum etiam interpretationes, quas ut ueras, adoptare nullus dubitarem, proponere tibi debui; ut de omni instituto iudicare possis. Hoc si tibi non displicuerit, uniuersam epistolam ea ratione illustratam olim a nobis expecta. Vale, & errores typographicos, quos ipse propter absentiam emendare non potui, beneuole corrige. iterum uale.

Landesbibliothek Oldenburg

CHRONOLOGIAE SACRAE
N. T.
TENTAMEN PRIMVM
SIVE
DE ITINERE PAVLLI HIEROSOLYMITANO
AD GALAT. II. 1. 2.
DISSERTATIO.

Landesbibliothek Oldenburg

ARGVMENTVM

Praefumen ducitur ab argumenti utilitate §. I.
Verba Paulli, *de quibus disputatur, proponuntur* §. II.
Noſtra de iis ſententia exponitur §. III.
Eius primum argumentum indicatur §. IV.
Quod ulterius probatur §. V.
Et aduerſus Sam. Basnagium *defenditur* §§. VI. VII. VIII. *&* IX.
Ad ſententiae noſtrae argumentum ſecundum delabitur oratio §. X.
Ad Sam. Basnagii *quasdam obiectiones reſpondetur* §§. XI. XII.
Hofmanni *argumenta aduerſus noſtram ſententiam ad examen reuocantur* §. XIII. XIV.
Eiusdem *coniectura refutatur* §. XV.

§. I.

DE itinere Paulli Hieroſolymitano, cuius ipſe *ad Gal.* II, 1. 2. mentionem facit, quanto opere uiri docti inter ſe diſſentiant, notius eſt, quam quod narrari multis uerbis debeat. Neque uero eam rem leuis omnino momenti dixeris, ſi diligentiorem eius disputationem non ad accuratius ſolum inueſtigandam uitae Paulli chronologiam plane neceſſariam eſſe cogitaueris; ſed ad uarios etiam N. T. locos intelligendos penitius facere plurimum. Quae quum ita ſint, operae pretium facturos nos eſſe arbitrati ſumus; ſi rem omnem ſingulari diſſertatione examinaremus paullo ſtudioſius.

§. II.

Verba D. PAVLLI, quibus iter suum exponit Galatis, ex *Cap. II. 1. 2.* ante omnia huc transcribenda sunt. Illa igitur haec sunt: Επειτα διὰ δεκατεσσάρων ἐτῶν πάλιν ἀνέβην εἰς Ἱεροσόλυμα μετὰ Βαρνάβα, συμπαραλαβὼν καὶ Τίτον. Ανέβην δὲ κατὰ ἀποκάλυψιν καὶ ἀνεθέμην αὐτοῖς τὸ εὐαγγέλιον, ὃ κηρύσσω ἐν τοῖς ἔθνεσι κατ' ἰδίαν δὲ τοῖς δοκοῦσι, μή πως εἰς κενὸν τρέχω, ἢ ἔδραμον.

§. III.

De hoc D. apostoli itinere in diuersa, ut iam dictum est, abeunt doctissimi uiri. Vna quidem eorum pars cauendum esse praecipit, ne illud cum itinere ad synodum Hierosolymitanam pro uno eodemque habeatur: altera contrariam plane sententiam sequitur, & nulla re ab illo ad Hierosolymitanam synodum diuersum esse, contendit. Nos posteriori sententiae subscribere, nulli dubitamus: quod quidem facinus nostrum ne cui uideri temerarium possit, non argumenta solum, quibus in eam sententiam adducti simus, exponemus; sed dissentientium ratiunculas etiam excutere conabimur.

§. IV.

Itaque primum omnium lectores nostros scopum itineris Paullini *Act. XV. 2.* & *ad Gal. II. 1. 2.* cogitare iubemus. Eum ubi unum eundemque demonstrauerimus, concedent forsitan in nostras partes, qui diuersa adhuc sequuti sunt. Loquatur igitur LVCAS; loquatur PAVLLVS etiam. Et ille quidem *l. c.* Γενομένης οὖν, inquit, στάσεως, καὶ συζητήσεως οὐκ ὀλίγης τῷ Παύλῳ καὶ τῷ Βαρνάβᾳ πρὸς αὐτοὺς, ἔταξαν ἀναβαίνειν Παῦλον καὶ Βαρνάβαν, καί τινας ἄλλους ἐξ αὐτῶν, πρὸς τοὺς Αποστόλους καὶ πρεσβυτέρους εἰς Ἱερουσαλὴμ, ΠΕΡΙ ΤΟΥ ΖΗΤΗΜΑΤΟΣ ΤΟΥΤΟΥ hic autem *l. c.* ἀνέβην δὲ, dicit, ΚΑΤΑ ΑΠΟΚΑΛΥΨΙΝ. LVCAE quidem verba satis clare docent, profectum esse Paullum Hierosolymam, ut quaestionem controuersam ad apostolos deferret: PAVLLI autem narrationem nulla omnino huius rei uestigia habere, fateor, iis uidebitur, qui illa uertere consueuerunt, consueuerunt autem quos equidem uidi interpretes omnes, *profectus uero sum ex reuelatione.* Hanc uero

uero uerborum Paullinorum interpretationem, communem licet & ab omnibus receptam, nimis a mente apoſtoli abire, ſine ulla haeſitatione affirmamus; ſubſtituendam autem in eius locum iſtam, *profectus autem ſum ad declarationem petendam.* Et hanc uerſionem ſi ſequendam demonſtrauerimus; eundem omnino PAVLLVM cum LVCA itineris ſui ſcopum narrare, probatum erit.

§. V.

Vt igitur interpretationis noſtrae ueritas appareat; ad eius facilitatem & in discutiendis reliquis momentis utilitatem prouocamus. Eam enim ſi ſequutus fueris, in explananda Paullina narratione, & apoſtoli itinere deſiniendo difficultas tibi nulla relinquetur; quodſi uero receptam explicationem admiſeris, ita omnia obſcura reddentur, ut expedire te nullo modo poſſis. Et hoc ſtatim manifeſtum faciemus; ubi noſtram uerſionem linguae Graecae genio minime aduerſari, indicauerimus. Nemo uero hoc negabit, qui apud IVL. POLLVCEM, *Onomaſt. Lib.* VI. *Segm.* 207. p. m. 681. ed. LEDERL. & HEMSTERH. *in Capite* περὶ δήλου καὶ ἀδήλου, inter ſynonyma uocum δηλῶσαι & γνωρίσαι etiam ἀποκαλύψαι legit. Et ipſe PAVLLVS noſter *ad Ephes. I. 17.* Spiritum ſanctum πνεῦμα σοφίας καὶ ἀποκαλύψεως uocat, quod Chriſtus de eo dixerat ad diſcipulos ſuos Io. XIV. 26. ἐκεῖνος ὑμᾶς διδάξει πάντα. Praepoſitionem κατὰ autem ſaepius ſcopum, propter quem aliquid eſt uel fit, indicare, demonſtrauimus *in diſſertatione*, quam Ienae olim habuimus, *ad illuſtr. uerba Pauli ad Tit. I. 1-6.* ubi ſe PAVLLVS ἀπόστολον profitetur κατὰ πίστιν ἐκλεκτῶν θεοῦ, καὶ ἐπίγνωσιν ἀληθείας τῆς κατ' εὐσέβειαν, *legatum, miſſum ad excitandam fidem in electis dei, & ad dandam cognitionem diſpoſitionis dei in oeconomia noua de hominum ſalute, quae uerum dei colendi modum demonſtrat.* Iam igitur declarationem, quam ſupra promiſimus, ulteriorem dabimus.

§. VI.

Scilicet id diſputandum eſt; luculenter per noſtram Paullinorum uerborum uerſionem itineris apoſtolici ſcopum & iter ipſum declarari. Negat quidem SAM. BASNAGIVS, *Annal. Polit. Eccl.*

Landesbibliothek Oldenburg

Tom. I. p. 592. eum Paullo itineris, de quo loquimur, propositum scopum fuisse, ut ab apostolis ueritatis declarationem in re controuersa peteret; sed ab eius argumentis nostra sententia defendi facile poterit. Audiamus igitur BASNAGIVM. *Permagni*, inquit ille, *interest in profectionis utriusque fine. Etenim Paullus ab Antiochena Ecclesia legatus est de comprimendo tumultu, quem coecus ceremoniarum amor hac in urbe mouerat: cui sedando interrogandi erant apostoli, quorum nomen falso praetexebant doctrinae suae. Alium uero sibi finem asserit Paullinus ille* ex reuelatione *aduentus Hierosolymam. Eo nempe tendebat, ut Apostolis qui uersabantur Hierosolymae*, exponeret Euangelium, quod praedicabat apud Gentes. *Quod consilium a comprimenda Ecclesiae Antiochenae seditione quam longissime discrepat.* Vides BASNAGIVM itineris Paullini consilium quaerere in uerbis, καὶ ἀνεθέμην αὐτοῖς τὸ εὐαγγέλιον, ὃ κηρύσσω ἐν τοῖς ἔθνεσιν. quodsi igitur his in verbis scopum itineris apostoli minime latere, demonstrauerimus; facile cessabit illud, quod sibi fingit uir doctissimus, discrimen, et nullum erit.

Hic uero obserues uelim maiori paullo cura Paulli uerba. Non dicit ille, id sibi itineris consilium fuisse, *ut exponeret apostolis euangelium, quod praedicabat apud gentes;* ea enim particulae καὶ uis esse numquam potest. Verbis Ἀνέβην δὲ κατὰ ἀποκάλυψιν iungit sequentia per καὶ particulam; καὶ ἀνεθέμην αὐτοῖς τὸ εὐαγγέλιον κ. τ. λ. Num igitur aduersari poterunt haec uerba nostrae sententiae? minime poterunt. Confirmant potius. Nam idem de itinere Hierosolymitano LVCAS narrat *Act. XV. 4.* ἀνήγγειλάν τε, ὅσα ὁ θεὸς ἐποίησε μετ' αὐτῶν. Conuenit igitur Paulli sermo cum Lucae narratione. Dicit enim id itineris scopum fuisse, ut declarationem peteret ab apostolis, simul uero exposuisse ipsis de euangelio, quod praedicabat inter gentes. Id quo magis appareat, & de Lucae & de Paulli uerbis sigillatim dicemus.

§. VII.

Initium fiet ab illustrandis LVCAE uerbis. Paullus ecclesiae Antiochenae iussu Hierosolymam profectus erat, *Act. XV. 2.* Caussa erat, ut deferret ad apostolos quaestiones, quas, qui ex Iudaea An-

Antiochiam uenerant, de obseruatione legis Mosaicae inter christianos Antiochenos mouerant. Illi enim ἐδίδασκον τοὺς ἀδελφούς. Οτι ἐὰν μὴ περιτέμνησθε τῷ ἔθει Μωϋσέως, οὐ δύνασθε σωθῆναι. Maximi omnino momenti rem putabant Antiocheni, & recte putabant, nosse; utrum euangelium de Christo sanum ipsis & integrum traditum esset, an uero impurum & mutilum? Etenim si ad consequendam per fidem in Christum aeternam salutem obseruatio insuper legis Mosaicae necessaria fuisset; infelices dicendi Antiocheni, & a suis doctoribus decepti, qui ea de re eum ad diem nihil audiuerant. Vnde uero certiores ea de re fieri poterant, quam ex apostolorum domini ore? Igitur adire ipsos Paullus et Barnabas et alii quidam iubentur. Hi, ubi Hierosolymam uenerant, adeunt apostolos, & hilare recipiuntur ab ecclesia, apostolis, & senioribus, *Act. XV. 4.* Hactenus plana sunt omnia ex ipsius LVCAE uerbis: quae autem sequuntur, ἀνήγγειλάν τε, ὅσα ὁ Θεὸς ἐποίησε μετ' αὐτῶν, maiorem lucem desiderant. Antiochenis legatis, ubi Hierosolymam illi peruenerant, ante omnia res, cuius caussa missi fuerant, summa diligentia exponenda erat. De hoc dubitabit nemo. Qui uero Paulli et Barnabae non dona solum diuina, sed dignitatem quoque, quam inter christianos ipsius Spiritus S. iudicio *Act. XIII. 2. 3.* consecuti erant, cogitare uelit; non, certe, ineptum me dicet, si ita diuinos hos uiros rem omnem ecclesiae Hierosolymitanae, apostolis et presbyteris exposuisse affirmauero, ut ipsi simul, quid de omni quaestione sentirent addiderint. In eam suspicionem ipsius LVCAE me narratio adducit. En LVCAE narrationis seriem, *Act. XV. 4. 5.* Παραγενόμενοι δὲ εἰς Ιερουσαλὴμ ἀπεδέχθησαν ὑπὸ τῆς ἐκκλησίας, καὶ τῶν ἀποστόλων, καὶ τῶν πρεσβυτέρων. ἀνήγγειλάν τε, ὅσα ὁ θεὸς ἐποίησε μετ' αὐτῶν. Ἐξανέστησαν δέ τινες τῶν ἀπὸ τῆς αἱρέσεως τῶν Φαρισαίων πεπιστευκότες, λέγοντες· Οτι δεῖ περιτέμνειν αὐτοὺς, παραγγέλλειν τε τηρεῖν τὸν νόμον Μοϋσέως. Quaeso, haec quomodo inter se cohaererent; nisi inter exponendum de legationis suae caussa narrasse Paullum et Barnabam quanta per ipsos deus fecerit, innuere LVCAM dicamus? et qua ratione surgere Pharisaei, ad Christi castra transgressi, & contentiose dicere potuissent; circumcidendos esse Antiochenos, ipsisque legis Mosaicae obseruatio-

tionem iniungendam; nisi Paullus & Barnabas inter narrandum ὅσα ὁ θεὸς ἐποίησε μετ' αὐτῶν, suam sententiam de sola in Christum fide amplectenda, lege autem Mosaica omittenda, attulisset? Neque alia desunt, quae ea, quae superius affirmauimus, confirmare possint. Paullus & Barnabas ita adhuc inter Iudaeos gentesque alias euangelium docuerant, ut Iudaeorum errores de coniungenda cum doctrina Christi lege Mosaica, & de praerogatiua illa gentis Iudaicae mirum quantum elata, plane spreuerint; uid. *Act. XIII. 38. 46. XV. 2.* Iam igitur, cum Exiudaei illi ex Iudaea Antiochiam uenissent, & contrariam doctrinam attulissent non solum, sed discipulos etiam Paulli & Barnabae de ueritate dubios fecissent; defendenda Paullo & Barnabae ueritas non Antiochiae tantum erat, *Act. XV. 2.* sed Hierosolymis quoque. Itaque narrant ecclesiae Hierosolymitanae, apostolis & presbyteris, *Act. XV. 4. quanta deus per ipsos fecerit;* ut doctrinae suae integritatem ab aduersariorum calumniis uindicarent. Ea enim, quae deus per ipsos fecerat, certo argumento esse debebant; sanam eos adhuc doctrinam professos esse; quum deus per corruptores ueritatis euangelicae tanta facere neque soleat, neque etiam possit.

§. VIII.

LVCAE uerbis explanatis, ad PAVLLI sermonem ueniamus, καὶ ἀνεθέμην αὐτοῖς τὸ εὐαγγέλιον, ὃ κηρύσσω ἐν τοῖς ἔθνεσι κατ' ἰδίαν δὲ τοῖς δοκοῦσι, μή πως εἰς κενὸν τρέχω, ἢ ἔδραμον. Haec uero PAVLLI uerba commentarius mihi in LVCAE narrationem uidentur; & ita declarare illam, ut eorum, quae supra scripsimus, plane nos non poeniteat. Paullus ad Galatas scribit; ad Galatas, qui Exiudaeorum errore, de obseruanda Christianis etiam Mosaica lege, misere decipi se passi fuerant. Hos reducere hac epistola in uiam, & ab erroribus liberare studet apostolus. Itaque postquam mirari se Galatarum inconstantiam *Cap. I. vs. 6.* fassus fuerat; doctrinam, ab ea, quam ipsis tradiderit, diuersam, sanam nullam esse, palam dicit *vs. 7-11.* Euangelium autem ab ipso Galatis nuntiatum, non ab hominibus, sed ab ipso domino Iesu Christo accepisse se, testatur vs. 11-24. His expositis, doctrinam illam, non ab hominibus, sed ab ipso domino sibi traditam,

Landesbibliothek Oldenburg

tam, strenue se semper aduersus christianam libertatem seruitute legis Mosaicae labefactare conantes defendisse, *Cap. II.* aliquot exemplis demonstrat. Initium facit ab itinere suo Hierosolymitano. Profectum se esse dicit ad eam urbem, ut declarationem ab apostolis peteret; καὶ, addit, ἀνεθέμην αὐτοῖς τὸ εὐαγγέλιον, ὃ κηρύσσω ἐν τοῖς ἔθνεσι κατ' ἰδίαν δὲ τοῖς δοκοῦσι, μή πως εἰς κενὸν τρέχω, ἢ ἔδραμον. Dicit igitur, ἀνεθέμην αὐτοῖς τὸ εὐαγγέλιον, ὃ κηρύσσω ἐν τοῖς ἔθνεσιν. *Exposui simul de mea doctrina*, id est, *de ratione, qua adhuc euangelium docueram inter gentes.* Et, quaeso, quae fuit ratio apostoli docendi inter gentes euangelii? Totius sermonis series abunde docet, eam Paullum innuere, qua non solum seruitute legis Mosaicae neminem implicabat; sed christianam etiam libertatem aduersus eos, qui legis Mosaicae obseruationem urgebant, strenue defendebat. Quare autem haec Hierosolymis narrauit? Non puto sui ipsius causa magis quam eorum, qui illum audiebant. Id ex LVCAE narratione manifestum esse arbitror. Paullum enim doctrinae suae certum fuisse, de eo dubitare nos non sinunt uerba *Act. XV. 2.* γενομένης οὖν στάσεως, καὶ συζητήσεως οὐκ ὀλίγης τῷ Παύλῳ καὶ τῷ Βαρνάβᾳ πρὸς αὐτούς: ex iis uero, qui audiebant Paullum, ἐξανέστησαν δέ τινες τῶν ἀπὸ τῆς αἱρέσεως τῶν Φαρισαίων πεπιστευκότες, λέγοντες· Οτι δεῖ περιτέμνειν αὐτοὺς, παραγγέλλειν τε τηρεῖν τὸν νόμον Μωϋσέως. Exposuit autem Paullus de doctrina sua κατ' ἰδίαν τοῖς δοκοῦσιν. Maxima interpretum pars haec uertit, *iis, qui prae caeteris eminent, et illustres sunt:* alii autem interpretantur, *iis, qui putabant* sc. frustra me currere. Posses etiam reddere; *quibus uidebatur*, scilicet priuatim me audire. Quamcunque interpretationem sequaris, per δοκοῦντες Petrum maxime intelligo, non exclusis apostolis reliquis. Tam inueteratus inter Exiudaeos error erat de seruanda sub Christi etiam regno lege Mosaica, ut ne apostoli quidem ab eo liberi omnino essent; quod sigillatim de Petro infra probabimus. Quodsi igitur Paullus se cum his priuatim collocutum esse scribit; id ueritatis causa, et prudenter fecit. Confirmauit enim hoc modo Apostolorum animos in ueritate; quod eo magis necesarium ipsi uideri poterat, quo certius sciebat, egere apostolorum animos confirmatione; et quo luculentius, suo exemplo edoctus de Pharisaeorum ardore in defendenda et commendan-

Landesbibliothek Oldenburg

da legis Mosaicae obseruatione, iudicare poterat. Confirmatis autem apostolorum animis, uia aperiebatur ueritati ad reliquorum etiam animos, qui apostolorum auctoritate non leuiter, neque iniuria, mouebantur. Vt uero ad Paulli uerba reuertamur, addit ille; μὴ πως εἰς κενὸν τρέχω, ἢ ἔδραμον. Non haec ideo addit apostolus, quod minus certus fuerit de doctrinae suae diuinitate et ueritate: sed uerti haec debent; *ut ne qua ratione frustra laborare aut laborasse uiderer.* Christiano ut Christiano satis potest se de fide sua certum esse; caeterum non adeo habet, quod aliis suam fidem persuadeat. In doctore Christiano aliter se res habet. Is ideo doctor ecclesiae est, ut imperitos doceat, errantes corrigat. Hic igitur non ipse solum fidei suae certus esse debet, sed aliis etiam doctrinae suae ueritatem demonstrare. Vides inde quae Paullo caussa fuerit, ob quam tam studiose laborauerit, ut ne qua ratione frustra docere aut docuisse alicui uideretur. Sed quorsum haec omnia tam curiose disputo? ut appareat, Paulli uerba nulla in re a Lucae narratione diuersa esse: facilem esse et certam expediendi se, si nostram uerborum Paullinorum interpretationem sequeris, uiam: nullum igitur esse posse inter scopum Hierosolymitani itineris, quod Lucas narrat, & illius, de quo Paullus loquitur, discrimen.

§. IX.

Addit BASNAGIVS ad roborandam opinionem suam; *Quid? An uero simile, Paullum eam omnino dissimulasse caussam, ob quam Hierosolymitanam in ciuitatem uenerat? Atqui de legatione Antiochena ne uerbum quidem in epistola ad Galatas.* Respondeo; non dissimulauit apostolus legationem Antiochenam; quam ex nostra uersione ne quidem reticuit. Claris autem uerbis eam non expressit; notam quippe Galatis, quibus inde, ἀνέβην δὲ κατὰ ἀποκάλυψιν, legisse satis erat. Ita enim solemus, si de rebus loquimur, quae iis, ad quos scribimus, notae sunt. Sic nemo negabit, apostolum in eiusdem epistolae *Cap. I. 15. 16.* de miraculosa sua conuersione loqui, quam *Act. IX.* legimus; quamuis omnia, quae euenerunt, copiose non percenseat. Sed huius moris exempla ueterum e scriptis afferri, si opus esset, plura possent.

§. X.

Landesbibliothek Oldenburg

§. X.

Itaque ad alterum sententiae nostrae argumentum progredimur. Scilicet praeter ea, quae attulimus, reliqua etiam, quae Paullus de itinere suo refert, ita omnia cum Lucae narratione conspirant, ut utrumque de uno eodemque itinere loqui, satis inde manifestum fiat. PAVLLVS se cum Barnaba abiisse dicit, Titum uero secum duxisse: LVCAS, *Act. XV. 2.* ἔταξαν, inquit, ἀναβαίνειν Παῦλον καὶ Βαρνάβαν, καί τινας ἄλλους ἐξ αὐτῶν. PAVLLVS, *ad Gal. II. 4.* clam se insinuasse dicit ψευδαδέλφους, οἵτινες παρεισῆλθον κατασκοπῆσαι τὴν ἐλευθερίαν ἡμῶν, ἣν ἔχομεν ἐν χριστῷ Ἰησοῦ, ἵνα ἡμᾶς καταδουλώσωνται. LVCAS *l. c. vs. 5.* refert, ἐξανέστησαν δέ τινες τῶν ἀπὸ τῆς αἱρέσεως τῶν Φαρισαίων πεπιστευκότες, λέγοντες ὅτι δεῖ περιτέμνειν αὐτοὺς, παραγγέλλειν τε τηρεῖν τὸν νόμον Μωϋσέως. Horum autem sententiam ab apostolis & presbyteris reiectam esse, in sequentibus scriptor sacer narrat. Ex qua narratione eius intelligi debent, quae PAVLLVS *vs. 3.* dicit, ἀλλ' οὐδὲ Τίτος, ὁ σὺν ἐμοὶ, Ἕλλην ὤν, ἠναγκάσθη περιτμηθῆναι. Denique illa PAVLLI, *vs. 5.* Οἷς οὐδὲ πρὸς ὥραν εἴξαμεν τῇ ὑποταγῇ, ἵνα ἡ ἀλήθεια τοῦ εὐαγγελίου διαμείνῃ πρὸς ὑμᾶς, satis ex iis, quae LVCAS *l. c. vs. 7-29.* narrat, explanari possunt. Sed ista longiora sunt, quam quae commode huc transcribi possint.

§. XI.

Superest alius a SAM. BASNAGIO, *l. c.* iniectus scrupulus. Ille igitur, ut Paullum non de itinere ad synodum Hierosolymitanam loqui, probet, ad censuram, qua a Paullo Petrus exceptus *ad Gal. II. 11.* sqq. fuit, prouocat, illamque priorem esse synodo Hierosolymitana dicit, a Paullo autem post iter suum Hierosolymitanum narrari. *Primum*, inquit, *omnium concilii decretum dei ex oraculo editum esse, omnes arbitrabantur ecclesiae, quibus uenerat in notitiam; perindeque motum apud Antiochenos incendium apostolica praescriptione extinguebatur, ut diserte nos Lucas monuit. Pace tam feliciter apud Antiochenos constituta, quis relictus erat iurgiis locus, & de circumcisione imponenda gentibus, & de ceremo-*

iis obseruandis? Quae Petro, Barnabae, reliquisque Iudaeis apud Antiochiam agentibus caussa, tum et ethnica fugiendi conuiuia, tum dissimulandi, ne Hierosolymitanis, qui uenerant a Iacobo, scandalum obiicerent? Turbasne excitassent illi aduenae, sonantibus adhuc spiritus sancti oraculis, quae probe nouerant? Respondemus, haec nondum efficere, ut censuram Petri synodo Hierosolymitana priorem fuisse, credendum nobis sit. Maiorem sibi synodi illius apud omnes auctoritatem sibi fingit BASNAGIVS, quam reuera fuit. Vnde enim ille fratrum, qui Hierosolymis uiuebant, multo tempore post synodum illam ad Paullum sermo, *Act. XXI. 20. 21.?* θεωρεῖς ἀδελφὲ, πόσα μυριάδες εἰσὶν Ιουδαίων τῶν πεπιστευκότων. καὶ πάντες ζηλωταὶ τοῦ νόμου ὑπάρχουσι. Κατηχήθησαν δὲ περὶ σοῦ, ὅτι ἀποστασίαν διδάσκεις ἀπὸ Μω ἐως τοὺς κατὰ τὰ ἔθνη πάντας Ιουδαίους, λέγων μὴ περιτέμνειν αὐτοὺς τὰ τέκνα, μηδὲ τοῖς ἔθεσι περιπατεῖν κ. τ. λ. Et S. IGNATIVS *Epist. ad Magnes. Cap. VIII. Tom. II. Patr. Apostol.* ex ed. alt. IO. CLERICI, p. 19. longo certe post Hierosolymitanam synodum tempore scribit, μὴ πλανᾶσθε ταῖς ἑτεροδοξίαις, μηδὲ μυθεύμασιν τοῖς παλαιοῖς ἀνωφελέσιν οὖσιν· εἰ γὰρ μέχρι νῦν κατὰ νόμον Ιουδαϊσμον ζῶμεν, ὁμολογοῦμεν χάριν μὴ εἰληφέναι. Quibus quidem in uerbis uocem Ιουδαϊσμὸν glossema esse dubium mihi non est (*) IDEM *ibid.* ἄτοπόν ἐστιν χριστὸν Ιησοῦν καλεῖν, καὶ Ιουδαΐζειν· ὁ γὰρ χριστιανισμὸς οὐκ εἰς Ιουδαϊσμὸν ἐπίστευσεν ἀλλ' Ιουδαϊσμὸς εἰς χριστιανισμόν. Et in *Epist. ad Philadelph. Cap. VII.* p. m. 31. Ἐὰν δέ τις Ιουδαισμὸν ἑρμηνεύῃ ὑμῖν, μὴ ἀκούετε αὐτοῦ. Quod uero ad ea attinet, quae de Petro dicit BASNAGIVS, nonne PAVLLVS *l. c. v. 12.* addit, φοβούμενος τοὺς ἐκ περιτομῆς? & nonne *vs. 14.* Petri factum ὑπόκρισιν uocat? Caueamus, ne apostolos homines esse desiisse opinemur. Nonne deus *Act. X. 10.* sqq. Petro indicauerat, nullum iam inter gentes & Iudaeos discrimen esse? nonne hoc idem Petrus *Act. X. 34.* fassus fuerat? & tamen *ad Gal. II. 12.* φοβούμενος τοὺς ἐκ περιτομῆς, gentes Iudaeis postposuit. Communis fere error est, qui apostolos ab omni labe immunes; primos Christianos autem

(*) Videtur IGNATIVS in mente habuisse IOANNIS Euangelistae uerba, *Cap. I. 17.* Ὅτι ὁ νόμος διὰ Μωσέως ἐδόθη· ἡ χάρις καὶ ἡ ἀλήθεια διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ ἐγένετο

autem sapientia, sanctitate, pietateque supra humanum modum illustres nobis fingit; quem uero felicissime nuper impugnauit uir laude nostra maior, perillustris IO. LAVR. MOSHEMIVS, *Institt. Hist. Christian. Maior. Saec. I. Part. II. Cap. III. §. VIII. sq. p. 238. sqq. & §. XIII. p. 249. sqq.*

§. XII.

Sed pergit mox BASNAGIVS: *Denique concedamus, quod nunquam nobis uerisimile fiet, eo uecordiae peruenisse Petrum, Barnabam, aliosque non paucos, ut dissimularent turpiter, nec recto pede, ut congruebat euangelio, incederent, profecto incredibile est, quod eo loci non obiecerit Petro decretum synodi.* Ad haec paucis respondeamus. Quis uero est, qui non uideat, ista non magis probare quae uult uir doctissimus, quam si nos inde, quod in epistola ad Galatas, qui ab Exiudaeis decipi se passi fuerant, Paullus non prouocat ad decreta synodi Hierosolymitanae, colligere uellemns, epistolam illam ante istam synodum scriptam esse debere? Ipse, puto, BASNAGIVS, si uiueret, istam argumentandi rationem probaturus non esset. Sed, ut supra iam diximus, nimiam sibi synodi fingit uir doctissimus auctoritatem; neque istorum temporum ingenium satis cogitat. Inde istae lacrymae!

§. XIII.

Nouissime Vener. CAR. GOTTL. HOFMANN *in Introduct. Pritian. in Lect. N. T.* p. 251. impugnauit sententiam, quam nos defendendam suscepimus. Ad singula igitur, quae uir doctus attulit, momenta singulatim respondere conabimur. Ille uero, *Nec placuit mihi sententia, inquit, Paullum Gal. II. de concilio Hierosolymitano agere: nam, ut taceam, apostolum iussu Antiochenorum, Act. XV. 2, non ex diuina reuelatione, Gal. II. 2. iter suscepisse, aliae succurrunt causae, quare Gal. II. concilium istud primum intelligi nequeat.* Multis hic uerbis opus nobis non est. Nam quum supra iam uerba Paulli explanata sint; & demonstratum, nullius ibi *reuelationis diuinae* mentionem fieri; facile intelligitur, quanti argumentum eorum aestimandum sit, qui inde aduersus nos pugnare

audent, quod Paullus *ad Gal. II.* ex reuelatione diuina Hierosolymam profectus dicatur.

§. XIV.

Pergit igitur uir doctissimus: *Harum praecipua est, quod chronologia plane repugnet: nam si concilium in annum a conuersione Paulli decimum quartum posueris, uel ut alii uolunt, in decimum septimum, absurdus nimiumque protractus prodibit calculus.* Vellem curiosius demonstrasset Ven. HOFMANNVS calculi absurditatem; quod eo magis necessarium fuisse uideri alicui posset, quod multi doctissimi uiri eam temporum rationem sequuti sunt, uid. SAM. SCHELGVIGIVS, *Exercit. Theol. de Concil. Hierosolym. Cap. II.* SAM. BASNAGIVS, *Annal. Polit. Eccles. Tom. I.* p. 610. Sed quum uiro doctissimo facere id minus placuerit; hic uero, chronologiam non repugnare, si demonstrare uellemus, integri fere Paullinae uitae annales conficiendi essent; id, ubi deus uitam nobis & maius otium concesserit, alibi facturos nos esse, promittimus.

§. XV.

Potius ad uiri doctissimi coniecturam ueniamus. Dicit uero ille: *Tandem, ut spero, ueri similem dubii solutionem inueni, quam eruditis harum rerum censoribus diiudicandam concedo. Nimirum, ut mea est opinio, Paullus Gal. II. 1. loquitur de illo itinere Hierosolymitano, cuius Lucas meminit Act. XVIII. 22. Fundamentum meae coniecturae est annorum computatio, supra a me proposita. Quid igitur uero similius, quam Paullum hoc iter indicasse, etsi, quid Paullus egerit, Lucas non descripserit. Nam certissimum est, Lucam multa omisisse, e. g. secessum Paulli in Arabiam & Damascum Gal. I. 17. etc.* Fateor uaria a Luca, ad scopum suum parum facientia, omissa esse: sed si in chronologia sacra coniecturas nostras solo Lucae silentio firmare liceret, tunc nescio quid fingi & excogitari possit. Et ipse mox addit Vener. HOFMANNVS p. 252. *Vnum quod coniecturae meae obiici posset, remouebo: nempe quod Barnabas una cum Paullo Hierosolymis fuerit, Gal. II. 1. constare autem ex Act. XV. 39. quod Barnabas a Paullo discesserit, & ad eum nunquam redierit. Respondeo: Barnabam nunquam cum*

Paullo

Landesbibliothek Oldenburg

Paullo in gratiam rediisse, frustra asseritur. Discesſit Barnabas a Paullo; nec in Lucae actibus legitur, Barnabam ad Paullum rediisse: sed, ut ut Lucas huius Barnabae & Paulli reconciliationis, quemadmodum & aliarum rerum, nullam mentionem facit, ipse tamen Paullus Gal. II. 1. testatur, se Barnabam secum habuisse, tunc quum Hierosolymas proficisceretur: atque hoc testimoninm supplet, quod in Luca omissum erat. Vtinam remotus ita esset scrupulus, quem remouere uir doctissimus promiserat. Capitales inimicitias Paullum cum Barnaba exercuisse, nemo sane sibi persuadebit; sed post discessum illum *Act. XV. 39.* comitem iterum Paulli factum esse Barnabam, certe ex *Gal. II. 1.* probare non debuit uir doctissimus; nondum enim firmiter satis, immo ne probabiliter quidem, demonstrauerat, iter, cuius *Act. XVIII. 22.* mentio fit, cum illo, quod apostolus *ad Gal. II. 1.* narrat, idem esse. Potius, quum LVCAS *Act. XVIII. 18.* Paulli comites nominet, Barnabae uero & Titi nomina inter illos non referat, magis illis, qui Lucae morem non ignorant, probabile fiet, neque Barnabam, neque Titum etiam tunc temporis cum Paullo fuisse.

CHRO-

Landesbibliothek Oldenburg

CHRONOLOGIAE SACRAE N. T.

TENTAMEN SECVNDVM

SIVE

DE TEMPORE ET LOCO SCRIPTIONIS EPISTOLAE D. PAVLLI AD TIMOTHEVM PRIORIS

DISSERTATIO.

Landesbibliothek Oldenburg

CHRONOLOGIAE SACRAE
N. T.
TENTAMEN SECUNDUM
SIVE
DE TEMPORE ET LOCO SCRI-
PTIONIS EPISTOLAE D. PAULI
AD TIMOTHEUM PRIORIS
DISSERTATIO

Landesbibliothek Oldenburg

ARGVMENTVM.

Chronologia N. T. res admodum difficilis est §. I.

De tempore scriptionis epistolae prioris ad Timotheum uariae sunt doctissimorum hominum sententiae §. II.

Omnes nituntur Paulli uerbis 1. *Tim.* I. 3. §. III.

Alii uero ante uincula Romana exarasse hanc epistolam apostolum dicunt §. IV.

Quorum opinio refutatur §. V.

Alii post uincula Romana scriptam ab apostolo eam epistolam dicunt §. VI.

Horum sententia ad examen reuocatur §. VII.

Nostram sententiam exponere incipit §. VIII.

Quae maxime nititur explanatione uerborum Paulli 2. *Tim.* I. 3. §. IX.

Timotheum a Paullo Ephesi manere iussum non fuisse probatur §. §. X. XI. XII. XIII.

Ad ea, quae obuerti possunt, respondetur §. XIV.

Verborum Paulli 2. *Tim.* I. 3. *interpretatio* §. XV.

Eam graecae linguae genium admittere probatur §§. XVI. XVII. XVIII. XIX.

Eandem rei ipsi admodum conuenire, demonstratur §. XX.

Ante uincula Romana, & quidem Corinthi, scripta est epistola §. XXI. XXII.

Argumenta ex ipsa epistola desumta exponuntur §. XXIII.

Argumenta haec iis, quae Lucas in Actis Apost. habet, roborantur; & res omnis magis explanatur & confirmatur §§. XXIV. XXV. XXVI. XXVII. XXVIII. XXIX. XXX.

§. I.

CHronologiam sacram Noui Foederis tractare quam difficilis res sit, illos maxime intelligere arbitror, ipsi qui manus operi admouere ausi sunt. Quum enim fundamenta, quibus niti firmiter satis possimus, in plurimis desint; coniecturis plerumque insistendum est, sequendumque id, quod maxime uidetur probabile. Quid igitur mirum, si tantus istis in rebus eruditorum dissensus est, quantum esse eum, facile, qui his literis delectantur, immo delectari debent, deprehendent.

§. II.

Sed propius ad rem accedamus, qui id agere iam cupimus, ut quid de primae Paulli ad Timotheum epistolae scriptionis tem-

Landesbibliothek Oldenburg

pore & loco sentiendum nobis uideatur, modeste exponamus. Vt uero rationes appareant, quam ob rem hac in re a doctissimorum hominum sententiis secessionem faciamus, ipsas illorum coniecturas & enumerare, & ad examen reuocare studebimus. Ad duo autem genera referri possunt eruditorum de tempore scriptionis epistolae nostrae opiniones. Vnam quidem eorum constituimus classem, qui ante D Paulli captiuitatem Romanam scriptam esse epistolam dicunt: alteram eorum, qui post uincula ista exaratam illam esse, affirmant.

§. III.

Omnes D. PAVLLI uerbis nituntur 1. *Tim.* I. 3. καθὼς παρεκάλεσά σε προσμεῖναι ἐν Ἐφέσῳ, πορευόμενος εἰς Μακεδονίαν, ἵνα παραγγείλῃς τισὶ μὴ ἑτεροδιδασκαλεῖν. quae uertunt: *Sicut te sum precatus, ut permaneas Ephesi, quum proficiscerer in Macedoniam, ut denuncies quibusdam, ne diuersam doctrinam doceant.* Nos quid de his apostoli uerbis sentiamus, quum infra exposituri simus; iam in enumerandis doctorum hominum sententiis pergamus.

§. IV.

Ex iis, qui ante uincula Romana Paullum has ad Timotheum literas exarasse dicunt, LVD. CAPELLVS in *Append. ad Histor. Apostol.* in *Crit. Angl.* Tom. VII. p. 3177. sq. GOTTFR. ARNOLD *in der kurzgefasten K. H.* p. 99. & alii, iter apostoli in Macedoniam, cuius ipsum 1. *Tim.* I. 3. mentionem facere dicunt, indicari putant *Act.* XVI. XVII. In illo itinere Athenas Paullum uenisse, LVCAS testatur *Act.* XVII. 15. ubi epistolam hanc scripsisse apostolum credunt, Arabis praecipue interpretis auctoritate nixi, qui in subscriptione epistolae illam Athenis compositam esse affirmat. Alii uero iter illud *Act.* XX. describi opinati sunt: ita tamen, ut SCVLTETVS *in obseruatt. ad 1. epist. ad Tim. Cap.* IV. *Crit. Angl.* Tom. V. p. 864. HAMMONDVS *in Annott. ad N. T.* Tom. II. p. 383. ex uersione 10. CLERICI, & alii, uersum capitis illius primum huc pertinere maxime credant; HVGO uero ille GROTIVS *in Obseruatt. ad* 1. *Tim.* I. 3. *Crit. Angl.* Tom. V. p. 872. & qui hunc sequuntur, ad uers. 16. sqq. prouocent. HVGONIS

GROTII

GROTII haec uerba sunt: *assentior*, inquit, *putantibus indicari iter illud, quod Act.* XX. *ut ex Epheso Timotheus Troada uenerit, Paulli uidendi caussa, redieritque mox Ephesum, ubi creditur reliquum uitae egisse.* Ab his omnibus discedit IO. COCCEIVS, qui in *Comment. in ep. 1. ad Tim.* Opp. Tom. V. p. 240. apostoli in Macedoniam iter referri commode posse sibi persuasit ad biennium istud, per quod Paullus Ephesi euangelium praedicasse dicitur *Act.* XIX, 10. Quum enim LVCAM *in Actis* non omnia apostoli itinera descripsisse putet uir doctissimus, inde ad paucas hebdomadas uel menses abiisse illum in Macedoniam, indeque Ephesum rediisse, suspicatur.

§. V.

De his sententiis doctorum uirorum b. BALDVINVS *in Comment. in omn. epp. Paulli* p. 1249. & b. IO. CHRISTOPH. WOLFIVS *in Curis Philol. & Critic. in ep. 1. ad Tim.* p. 407. & 408. recte iam iudicarunt, admitti illas neutiquam posse. Nam in illo itinere, quod *Act.* XVI. & XVII. describitur, Timotheum Paulli comitem fuisse, ex *Cap.* XVII. 14. palam est. Et sic etiam *Act.* XX. ubi Paullus *vs.* 1. Epheso decessisse & in Macedoniam profectus esse dicitur, *vs.* 4. inter comites ipsius Timotheus nominatur. Qui uero ex Epheso Timotheum Miletum uenisse dicunt, Paulli uidendi caussa; illis, ut alia illaque non leuia omittamus, unum hoc opponimus, Timotheum inter presbyteros Ephesianae ecclesiae ad Paullum Miletum uenientes, non fuisse; id quod infra pluribus probabimus. COCCEII uero coniectura tunc demum refutanda erit, si quis eam rationibus, leuibus licet, posse defendi demonstrauerit.

§. VI.

IAC. VSSERIVS *in Annal. N. T.* p. 681. edit. Brem. MILLIVS *in Prolegom. ad N. T.* § 123. PEARSONIVS *in Annal. Paullin.* p. 22. IO. CLERICVS *in Obseruatt. ad Hammond.* Tom. II. p. 384. SAL. VAN TILL *in Opere Analytic.* Tom. II. p. 657. IO. ALB. FABRICIVS *in Biblioth. Graec. Lib.* IV. *Cap.* 5. p. 124. IOACH. LANGIVS *in Comment. de Vita & Ep. Paulli Sect.* III. *Cap.* IV. §. 5. p. 163. & alii, qui post captiuitatem apostoli Romanam hanc ad Timotheum epistolam missam esse putant, Paullum e uinculis

liberatum, Roma in Asiam profectum, Ephesi reliquisse Timotheum, dicunt: & quum ipse mox in Macedoniam transiisset, Philippis primam hanc ad Timotheum epistolam conscripsisse, affirmant.

§. VII.

Sed hi unde, quaeso, probabunt haec Paulli apostoli post Romana uincula itinera? Certe omnem de secunda Paulli captiuitate Romana narrationem argumentis niti admodum infirmis, notum est immo tutius illam negari, quam propugnari, singulari dissertatione, hoc uolumine exhibenda, demonstrabimus. Deinde *Act.* XX. 25 Hierosolymam, & inde Romam proficiscens apostolus, καὶ νῦν ἰδοὺ, inquit, ἐγὼ οἶδα, ὅτι οὐκέτι ὄψεσθε τὸ πρόσοπόν μου ὑμεῖς πάντες, ἐν οἷς διῆλθον κηρύσσων τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ. quì tamen ad Timotheum scribit *Cap.* III. 14. ταῦτά σοι γράφω ἐλπίζων ἐλθεῖν πρός σε τάχιον. Ad haec accedit a 10. COCCEIO *l. c.* iniectus scrupulus; qui, an tum etiam iuuenis Timotheus, uid. 1. *Tim.* IV. 12. dici potuerit, se ignorare dicit. Praeterea in tota prima hac epistola ita ad Timotheum loquitur de rebus ecclesiasticis apostolus, ut, si illam cum altera epistola conferas, per tempus non adeo longum cum Paullo fuisse ipsum, facile inde colligere possis. Per omnem enim primam epistolam Timotheum, tanquam rerum doctori euangelico obseruandarum non adeo peritum, praeceptis instruit apostolus: in secunda uero aliquoties ad usum, quem ex Paulli contubernio consecutus ille erat, prouocat. Inprimis huc pertinent uerba 2. *Tim.* III. 10. 11. Σὺ δὲ παρηκολούθηκάς μου τῇ διδασκαλίᾳ, τῇ ἀγωγῇ, τῇ προθέσει, τῇ πίστει, τῇ μακροθυμίᾳ, τῇ ἀγάπῃ, τῇ ὑπομονῇ, τοῖς διωγμοῖς, τοῖς παθήμασιν, οἷά μοι ἐγένετο ἐν Αντιοχείᾳ κ. τ. λ. Quodsi autem post Romana demum uincula scripta esset epistola, per quindecim iam annos, nempe ab anno L. usque ad annum LXV. ex PEARSONII *in Annal. Paullin.* computatione, cum Paullo uersatus fuisset Timotheus: ut inde etiam argumentum contra eam sententiam non leue peti posse uideatur.

§. VIII.

Landesbibliothek Oldenburg

§. VIII.

Enumeratis aliorum sententiis, nobis quid de tempore & loco scriptae epistolae Paullinae statuendum uideatur, exponere; rationibusque & argumentis firmare studebimus. Quodsi uero qui futuri sint, quod facile credimus, quibus minus quae iam dicturi sumus, probentur; illi cogitent, quaeso, nos in re admodum ardua ac difficili uersari; certoque persuasi sint, pia hanc nos disputationem mente suscepisse, non contradicendi studio incitatos, abreptosque; sed quia uerum scriptae epistolae tempus a nemine adhuc uel probabiliter saltem esse indicatum, non ipsi solum uidebamus, sed alios etiam idem hoc questos esse, ex ipsorum scriptis cognoueramus. Vnum hic b. WOLFIVM nominasse satis sit, qui *in Curis Philol. & Crit. ad 1. ep. ad Tim.* p. 408. *de hoc momento nihil hactenus certi constare*, existimare se dicit. Omnes uero obseruanter & enixe rogamus, ne ante iudicium ferant de nostra sententia, quam diligenter omnia, ut decet in re tantis difficultatibus implicata, pensauerint.

§. IX.

Non errarunt, qui tempus, quo composita haec a Paullo sit epistola, ex *Cap.* I. 3. definiendum putarunt: in ipsa uero uerborum istorum expositione non circumspecte satis egisse uidentur. Quamuis enim Timotheum Ephesi reliquisse Paullum, omnes adhuc crediderint, longe tamen aliam esse illorum uerborum sententiam, argumentis non leuissimis omnino probari potest. Quum igitur uera istorum uerborum interpretatione uel maxime nitatur nostra de tempore & loco scriptionis epistolae sententia; rationes, quibus adducti a recepta uulgo apostoli uerborum interpretatione recedendum nobis putemus, cura paullo maiore exponere conabimus.

§. X.

Quo minus autem Timotheum a Paullo *Ephesi manere* iussum fuisse, persuadere nobis possimus, primum ipsius apostoli uerba faciunt, 2. *Tim.* IV. 12. Τυχικὸν δὲ ἀπέστειλα εἰς Ἔφεσον. Quodsi enim Ephesi fuisset Timotheus, cur hoc ad ipsum scribat apostolus, ratio nulla apparet. Immo superfluum illud omnino fuisset:

ante enim, quam Paulli literas accepit Timotheus, ipsis oculis suis, si Ephesi fuit, uidere Tychicum potuit; & uidisse ueri est simillimum.

§. XI.

Secundum argumentum ex eiusdem S. apostoli uerbis desumimus. In eodem capite *vers.* 13. haec leguntur: τὸν φελόνην, ὃν ἀπέλιπον ἐν Τρωάδι παρὰ Κάρπῳ, ἐρχόμενος φέρε, καὶ τὰ βιβλία, μάλιστα τὰς μεμβράνας. Iam uero Romam ad Paullum, & quidem ταχέως, uid. *vers.* 9. & 21. uenire debuit Timotheus; cui si Ephesi iter suscepisset, certe non Troada petere licuisset, sed nauis ascendenda fuisset potius.

§. XII.

Idem D. apostolus tertium quoque nobis argumentum suppeditat, *vers.* 20. scribens; Τρόφιμον δὲ ἀπέλιπον Μιλήτῳ ἀσθενοῦντα. Cur uero ex Roma urbe hac de re Paullus certiorem facit Timotheum, si ille Ephesi episcopus, & ita pauca admodum a Mileto milliaria fuit? Trophimi autem ualetudinem ad iter Paulli referimus, cuius *Act.* XX. 15. mentio fit. Negat hoc fieri debere IOACH. LANGIVS, *Commentat. de Vita & Epp. Paulli, Sect.* III. *Cap.* IV. §. 15. p. 171. quum *Act.* XXI. 29. Trophimus cum Paullo Hierosolymis in templo fuerit. Sed, nisi quis maius aliquod impedimentum afferat, hoc non mouemur. Reualescere enim Trophimus, Paullumque sequi statim in itinere potuit: nam illud ἀπέλιπον aeque *reliqueram* uerti potest, ac *reliqui.*

§. XIII.

His omnibus rite ponderatis, facile intelligere poterimus caussam, quam ob rem *Act.* XX. 17. ubi Paullus Ephesinae ecclesiae presbyteros ad se Miletum euocauit, nulla plane Timothei mentio fiat. Cuius nomen, si ille inter ipsos, immo illorum praecipuus fuisset, LVCAM data opera silentio praetermisisse, probabile non est. Itaque inde etiam nouum pro nostra sententia argumentum oritur. Probe quidem nouimus, ex silentio scriptoris alicuius colligi ac probari nihil facile posse: sed quum ex iis, quae praemisimus,

simus, optime explicari possint, ut mox uidebimus Lucae uerba; nemo, puto, re rite considerata, nullum in illis nostram sententiam praesidium habere, affirmare facile audebit.

§. XIV.

Sunt etiam nonnulla, quae obuertere nobis quis posset, & quae ideo silentio praetermitti non debent. Argumenta nostra ex secunda epistola desumta sunt; Paulli uero uerba, de quibus sermo nobis est, in prima leguntur. Potuit fortasse Timotheus a Paullo Ephesi relinqui, rebus autem ibi confectis, alio concedere. Ephesi uero illum mansisse, ex 2. *Tim.* IV. 19. probabile nonnullis uideri posset: Ασπασαι Πρίσκαν καὶ Ακύλαν, καὶ τὸν Ονησιφόρου οἶκον. Priscillam enim cum Aquila Ephesi Paullus reliquerat, *Act.* XVIII. 19. 26. De Onesiphoro autem ipse apostolus 2. *Tim.* I. 18. ὅσα ἐν Εφέσῳ διηκόνησε, βέλτιον σὺ γινώσκεις. Sed salua res est. Nam quod ad primum scrupulum attinet, idem scopus posterioris epistolae est, qui prioris; eosdem etiam errores oppugnat apostolus, quos in prima: haec uero in utraque epistola non eadem esse possent, si Timotheo, priore epistola scripta, alia a Paullo persona fuisset imposita. Priscillam uero & Aquilam Ephesi habitasse, unde probare quis uelit, non uidemus; quum eosdem Corinthi etiam fuisse, ex *Act.* XVIII. 2. & Romae, ex *ad Rom.* XVI. 7. satis notum sit. Denique Onesiphori familiam Ephesum patriam habuisse, ex apostoli uerbis supra positis, colligi nullo modo potest. Onesiphorum enim Paulli in praedicando euangelio adiutorem fuisse, ex 2. *Tim.* I. 16. cognoscitur. Et, si Onesiphori familia Ephesi habitauit, cur in epistola ad Ephesios salutem illi non dixit apostolus? quum hoc in usu fuisse Paullo, ex aliis epistolis, inprimis *ad Rom.* XVI. satis cognoscatur.

§. XV.

Iam igitur quid de D. PAVLLI uerbis 1. *Tim.* I. 3. erit faciendum? Vidimus Timotheum Ephesi non mansisse, & idem hoc in sequentibus etiam insuper uidebimus. Sed proponemus Paullinorum uerborum uersionem, quam probare statim ulterius conabi-

Landesbibliothek Oldenburg

mur. Itaque uerba illa ita interpungimus: καθὼς παρεκάλεσά σε προσμεῖναι ἐν Ἐφέσῳ πορευόμενος εἰς Μακεδονίαν, ἵνα παραγγείλῃς τισὶ μὴ ἑτεροδιδασκαλεῖν. Interpretamur uero illa; *Peragra Macedoniam, uti hortatus te sum, expectans me Ephesi, ut denuncies nonnullis, ne diuersa doceant:* Vel, quod eodem redit; *Expecta me Ephesi, uti hortatus te sum, qui in eo iam es, ut perages Macedoniam, ut* caet.

§. XVI.

Hanc nostram uerborum Paullinorum interpretationem Graecae linguae ingenium admittere, ante omnia probandum erit. Primo loco occurrit particula καθώς. Hanc crucem adhuc figisse interpretibus omnibus, ex ipsorum scriptis cognoscere quiuis facile poterit. Nostra interpretatione difficultas omnis tollitur. Ex illa enim palam fit, particulam hanc idem in PAVLLI uerbis significare, quod in CHRISTI, *Io.* VII. 38. ὁ πιστεύων εἰς ἐμὲ, καθὼς εἶπεν ἡ γραφὴ, ποταμοὶ ἐκ τῆς κοιλίας αὐτοῦ ῥεύσουσιν ὕδατος ζῶντος. *Qui credit in me, ex eius uentre, uti scriptura dicit, aquae uiuae fluent.* Et sic ipse etiam PAVLLVS uocula hac usus est *ad Rom.* I. 17. Δικαιοσύνη γὰρ θεοῦ ἐν αὐτῷ ἀποκαλύπτεται ἐκ πίστεως εἰς πίστιν· καθὼς γέγραπται ὁ δὲ δίκαιος ἐκ πίστεως ζήσεται. *Iustitia dei scilicet - - uti scriptum alicubi est;* caet.

§. XVII.

Infinitiuum loco imperatiui a Graecis poni, ueterum exempla docent. *Ad Rom.* XII. 15. χαίρειν μετὰ χαιρόντων, καὶ κλαίειν μετὰ κλαιόντων. Miror uero Grammaticorum turbam solis poëtis id dicendi genus tribuere. THEOPHR. *Char. Eth.* 7. extr. καὶ σκοπτόμενος ὑπομεῖναι, καὶ ὑπὸ τῶν αὐτοῦ παιδίων, ὅταν αὐτὸν ἤδη καθεύδειν βουλόμενον κελεύῃ λέγοντα ταῦτα· ΛΑΛΕΙΝ τι ἡμῖν, ὅπως ἂν ἡμᾶς ὕπνος λάβῃ. ubi uide Cl. IO. CORN. DE PAVW. adde Cel. IAC. PHIL. D'ORVILLE, *in Vanno Critica* p. 341. Exempla huius rei ex Herodoto & poëtis etiam habet IO. CLERICVS *Art. Crit. P.* II. *S.* I. *C.* X. §. 17. Tom. I. p. m. 253. qui uero haec inter ea, quae ad analogiam reduci nullam possint, referre non debuit. Neque tamen melius IO. CASP. SCHROEDERVS

RVS *ad Epictet.* 12. egit, qui enallagen esse dicit: subintelligitur enim in illis locutionibus uerbum ὀφείλω.

§. XVIII.

Πορευόμενος εἰς Μακεδονίαν, ex nostra uersione idem est, ac si dixisset apostolus, πορευόμενος ἐν Μακεδονίᾳ. Saepissime & sacri scriptores N. T. & Graeci profani εἰς pro ἐν ponunt. MATTH. XI. 12. κατῴκησεν εἰς πόλιν. MARC. XIII. 3. καθημένου αὐτοῦ εἰς τὸ ὄρος. LVCAS *Act.* VIII. 40. Φίλιππος δὲ εὑρέθη εἰς Ἄζωτον. uide b. IO. CHRISTOPH. WOLFIVM, *in Curis Philol. & Crit. in N. T.* Vol. I. p. 44. 263. 434. 435. 517. 557. 1116. Vol. III. p. 391. VIGERVM *de Idiot. Gr. Dict. Cap.* IX. *Sect.* II. *Reg.* XI. p. m. 425. sq. adde *Indicem Aelian.* in ed. IAC. PERIZONII.

§. XIX.

Vocem προσμεῖναι uertimus *expecta*. Nemo de hac uocis significatione dubitabit. Illud autem silentio praetermittendum non uidetur, in quibusdam Codd. Mss. legi περιμεῖναι; quod mirifice nostram interpretationem confirmat. Nam illud περιμεῖναι glossator quis adscripsit, indicaturus προσμεῖναι esse hoc loco *expectare*.

§. XX.

Iam demonstrandum porro est, explicationem hanc nostram rei ipsi admodum conuenire; tempusque & locum scriptae epistolae facili ratione ex illa definiri posse. Quum autem quaedam in *Actis Apostol.* quaedam aliis N. T. in libris legantur, ex quibus iudicium nobis de quaestione, quam explicandam sumsimus, erit ferendum; omnia quae huc facere uidebuntur, iusto ordine exponere studebimus.

§. XXI.

Ante uincula Romana, non multo post scriptam esse epistolam, quam itinerum comitem Paullus Timotheum assumserat, argumenta supra §. VII. exposita, satis probare uidentur. Iam uero, si ea, quae s. LVCAS de Paulli itineribus in *Actis* memoriae prodidit, cum iis, quae ad Timotheum apostolus scribit, conferre di-

Landesbibliothek Oldenburg

ligenter uelimus, Corinthi composuisse Paullum hanc epistolam, admodum fiet probabile.

§. XXII.

Hoc quo magis appareat, primum quae in ipsa epistola occurrunt momenta, studiose nobis colligenda erunt: deinde uero illa quoque, quae LVCAS in *Actis* de Paullo narrat, in consilium uocanda.

§. XXIII.

Vtraque ad Timotheum epistola ita scripta est, ut Timotheum non ad solam Ephesinam ecclesiam missum a Paullo fuisse, facile inde colligi possit. Loquitur in illis apostolus de erroribus, quos in aliis etiam epistolis, ad alias ecclesias scriptis, oppugnat. Praecepta quibus Timotheum instruere studet, ita omnia comparata sunt, ut Paullum ad plures ecclesias respexisse, admodum inde probabile fiat. Tito, quem in Creta reliquerat apostolus, Cretensium ingenia describit *Cap.* I. 12. Ephesiorum uero ne mentionem quidem facit in illis, quas ad Timotheum scripsit, epistolis; quum id aliquoties tamen fere necesse uideatur; sed tunc communi nomine τῶν ἀδελφῶν utitur, uid. 1. *Tim.* IV. 16. In prima epistola neminem nominat, cui suo nomine salutem dicere Timotheus debeat. Alexandri, fabri aerarii, in utraque epistola aliquoties mentio fit; a quo ut sibi caueat, serio apostolus Timotheum monet: hunc autem non solum Ephesi commoratum fuisse, sed ad plures ecclesias perturbandas oberrasse, ex ipsius PAVLLI uerbis suspicari licet, 2. *Tim.* IV. 14. Ἀλέξανδρος ὁ χαλκεὺς πολλά μοι κακὰ ἐνεδείξατο -- ὃν καὶ σὺ φυλάσσου· λίαν γὰρ ἀνθέστηκε τοῖς ἡμετέροις λόγοις. Quae omnia si iis addamus, quae supra iam, §. X. sqq. diximus; nemo, puto, temeritatis accusare nos poterit, si Timotheum a Paullo in Macedoniam & Asiam ad confirmandos in fide fratres missum esse, affirmauerimus.

§. XXIV.

Quae diximus adhuc, cum iis, quae in *Actis* s. LVCAS de rebus a Paullo gestis narrat, egregie conuenire, ut ostendamus, superest. Hunc enim librum esse putamus, ex quo, quidquid in chrono-

Landesbibliothek Oldenburg

chronologia sacra de scriptis factisue apostolorum definire audeamus, hauriendum. Fateor equidem, non tam clare omnia descripsit LVCAS, ut coniecturas omittere omnes possimus: sed illud semper tamen curandum nobis est, ut ne coniecturae nostrae iis repugnent, quae diuinus ille scriptor de apostolorum historia memoriae prodidit. Quo magis autem eius, qui rei cuiusdam ab apostolis gestae tempus definire cupit, suspicionibus illustrantur ea, quae in LVCAE *Actis* leguntur, eo probabiliores esse debere istas coniecturas, omnino putamus.

§. XXV.

Vt autem aliquo certo fundamento nitamur, cui reliquam temporum dispositionem imponamus quasi; de epistolis ad Thessalonicenses in Corinthiorum illas urbe scriptas esse, dubitabit nemo, qui PAVLLI uerba legit 1. *Thess.* III. 1. 2. διὸ μηκέτι στέγοντες, εὐδοκήσαμεν καταλειφθῆναι ἐν Ἀθήναις μόνοι, καὶ ἐπέμψαμεν Τιμόθεον τὸν ἀδελφὸν ἡμῶν, κ. τ. λ. & *vs.* 6. Ἀρτι δὲ ἐλθόντος Τιμοθέου πρὸς ἡμᾶς ἀφ' ὑμῶν, καὶ εὐαγγελισαμένου ἡμῖν τὴν πίστιν καὶ τὴν ἀγάπην ὑμῶν κ. τ. λ. Quodsi enim *Acta Apostolorum*, a LVCA descripta, euoluere uelimus, Timotheum in Macedonia mansisse *Cap.* XVII. 14. & ad Paullum rediisse Corinthum *Cap.* XVIII. 5. inueniemus.

§. XXVI.

Sed cur reliquit tunc temporis Paullus Timotheum suum in Macedonia? Scilicet mirifice turbatas fuisse ecclesias illas a falsis apostolis, uaria sacri codicis loca credere nos iubent, uid. *Act.* XVIII. 5. sqq. adde *vs.* 3. 1. *Thess.* II. 14. In Macedonia igitur reliquerat apostolus Timotheum, ut confirmaret ille fidem fratrum,

Landesbibliothek Oldenburg

quod ipse PAVLLVS testatur 1. *Thess.* III. 2. 3. καὶ ἐπέμψαμεν Τιμόθεον -- εἰς τὸ στηρίξαι ὑμᾶς, καὶ παρακαλέσαι ὑμᾶς περὶ τῆς πίστεως ὑμῶν. Τῶ μηδένα σαίνεσθαι ἐν ταῖς θλίψεσι ταύταις· αὐτοὶ γὰρ οἴδατε, ὅτι εἰς τοῦτο κείμεθα. Timotheus, ipse Paullus primam ad Thessalonicenses epistolam scripsit (uide quae §. praec. diximus), qua hortatus ipsos, ut fidem seruarent, uid. 1. *Thess.* III. inprimis *vs.* 10. Et inde rationem facile uidebis, cur scribat PAVLLVS 1. *Thess.* V. 27. Ορκίζω ὑμᾶς τὸν Κύριον, ἀναγνωσθῆναι τὴν ἐπιστολὴν πᾶσι τοῖς ἁγίοις ἀδελφοῖς.

§. XXVII.

Ast nondum, scripta illa ad Thessalonicenses epistola, pacata omnia erant in ecclesiis. Pergebant enim falsi apostoli turbare illos, qui ueram de Christo doctrinam tenebant. Itaque secundam ad Thessalonicenses Paullus epistolam mittit, illosque hortatur, ut ne persuaderi se patiantur falsorum apostolorum figmentis. Audias modo ipsum PAVLLVM 2. *Thess.* II. 1. 2. 3. Ερωτῶμεν δὲ ὑμᾶς, ἀδελφοὶ, ὑπὲρ τῆς παρουσίας τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ιησοῦ χριστοῦ, καὶ ἡμῶν ἐπισυναγωγῆς ἐπ' αὐτὸν, εἰς τὸ μὴ ταχέως σαλευθῆναι ὑμᾶς ἀπὸ τοῦ νοὸς, μήτε θροεῖσθαι, μήτε διὰ πνεύματος, μήτε διὰ λόγου, μήτε δι' ἐπιστολῆς ὡς δι' ἡμῶν, ὡς ὅτι ἐνέστηκεν ἡ ἡμέρα τοῦ χριστοῦ. Μήτις ὑμᾶς ἐξαπατήσῃ κατὰ μηδένα τρόπον. Et hinc precatur etiam apostolus *Cap.* III. 2. ἵνα ῥυθῶμεν ἀπὸ τῶν ἀτόπων καὶ πονηρῶν ἀνθρώπων· οὐ γὰρ πάντων ἡ πίστις. quae ultima uerba male uulgo de fide in Christum explicari solent; quum uertenda sint; *non enim omnibus habenda fides est.* Id quod aperte consequentia sermonis docet; πιστὸς δέ ἐστιν ὁ κύριος κ. τ. λ.

§. XXVIII.

§. XXVIII.

Neque uero hac etiam epistola quum omnes omnino in ecclesiis turbae compositae essent; Timotheum iterum in Macedoniam mittit; ipse Corinthi manet apostolus. Et in hoc itinere primam a Paullo epistolam accepisse Timotheum affirmare nulli dubitamus.

§. XXIX.

Quam egregie haec omnia & interpretationi nostrae uerborum Paullinorum §. XV. propositae, & iis etiam, quae de ipsa epistola ad Timotheum priore §. XXIII. diximus, conueniant, facile quisque uidebit. Sed unde hoc Timothei in Macedoniam iter probare uelimus, iure ex nobis quaerere quis posset. Duplici uero ratione id Timothei iter probamus. Primum ea, quae de statu ecclesiarum §§. praec. obseruauimus, uel ipsius apostoli, uel cuiusdam saltem amanuensis apostoli praesentiam postulabant. Et hinc PAVLLVS I. *Thess.* III. 10. *νυκτὸς καὶ ἡμέρας ὑπερεκπερισσοῦ δεόμενοι*, inquit, *εἰς τὸ ἰδεῖν ὑμῶν τὸ πρόσωπον, καὶ καταρτίσαι τὰ ὑστερήματα τῆς πίστεως ὑμῶν.* Iam uero, quum eadem in re Timothei opera usus iam Paullus fuerat *Act.* XVII. 14. iam etiam hanc Timotheo personam ab apostolo impositam fuisse, quis mirabitur? Deinde in hac sententia LVCAE etiam narratio nos confirmat. Ille enim *Act.* XVIII. 11. Paullum Corinthi per integrum annum et menses sex fuisse dicit; Timothei uero ne uerbo quidem mentionem facit: immo abitum *Paulli vs. 18.* narrans, comites Paulli nominat, Timothei uero nomen inter eos non refert. Numne igitur data opera Timotheum praetermittit LVCAS? eius certe silentii causa nulla apparet; et idem contra ipsius morem,

Landesbibliothek Oldenburg

quem obseruare alibi solet, pugnaret. Quid igitur? Timotheum cum Paullo non fuisse, quae ante diximus, satis probant. Sed quare LVCAS Timothei iter reticuit? apostolorum ille acta narrare uoluit, non euangelistarum.

§. XXX.

Ex his omnibus probari etiam possunt, quae supra §. XXI. affirmauimus; Corinthi primam ad Timotheum epistolam a Paullo scriptam esse. Ita enim mirificum in omnibus epistolae nostrae cum LVCAE *in Actis* narratione consensum deprehendimus. Promittit Paullus 1. *Tim.* III. 14. ἐλθεῖν τάχιον; uult Ephesi a Timotheo expectari 1. *Tim.* I. 3. LVCAS uero hunc Paulli ad Ephesum aduentum narrat *Act.* XVIII. 9. Quum autem, postquam in Macedoniam Timotheum miserat, ipsumque Ephesi expectare iusserat, a Corintho Paullus non discesserit; ipsum Corinthi hanc ad Timotheum epistolam scripsisse, minus probabile nemini, credo, uidebitur.

COM-

COMMENTARII
IN
EPISTOLAM D. PAVLLI AD ROMANOS SPECIMEN.
SIVE
OBSERVATIONES IN CAPVT EIVS EPISTOLAE PRIMVM ET PARTEM SECVNDI.

Landesbibliothek Oldenburg

Landesbibliothek Oldenburg

D. PAVLLI APOSTOLI EPISTOLAE AD ROMANOS

CAP. I.

PAVLLVS, seruus Iesu Christi, uocatus ab ipso ad obeundum Apostoli munus, destinatus ad nunciandum publice laetissimum a deo nuncium (quem olim jam per prophetas ille 2.
suos sacris in literis de filio suo promisit. (orto, quod ad humana- 3.
nam quidem naturam attinet, ex semine Dauidis, ualide autem 4.
spiritus, qui nos sanctificat, post resurrectionem suam e mortuis, missione, filio Dei demonstrato,) Iesu Christo domino nostro: a quo 5.
nobis etiam apostoli munus gratiose demandatum est, ut nomine ipsius omnes gentes ad obsequium, doctrinae Euangelicae praestandum, adducere studeamus; in quibus uos etiam estis, quos Iesus 6.
Christus uocauit) omnibus, qui Romae uiuunt, dilectis Dei, san- 7.
ctis, qui uocationem Dei secuti sunt, salutem.

Gratiam uobis precor, & animi tranquillitatem, a deo patre nostro, & domino Iesu Christo.

Ante omnia quidem gratias ago deo meo per Iesum Christum 8.
uestri causa; quod in tantum fides uestra excreuit, ut eius fama uniuersum fere terrarum orbem impleuerit. Immo ipse deus, cui ex 9.
toto animo in praedicando de filio suo euangelio seruio testis mihi sit; me nunquam non memorem esse uestrum; qui, quotiescunque preces ad deum fundo, semper oro, num forte aliquando exopta- 10.
tum iter contingeret mihi, per uoluntatem dei, quo uenirem ad uos. Vehementer enim uidere uos cupio, ut doni quid coelestis 11.
uobis impertiar, quo confirmemini; uel potius, ut, dum apud 12.
uos essem, mutua consolatione ex fide, uobiscum mihi communi, erigamur. Nolo uero ignorare uos, fratres, saepius propositum 13.
mihi fuisse, proficisci ad uos (sed uariis adhuc rebus itinere prohibitus sum) ut inter uos etiam fructum aliquem consequar, quemadmodum inter gentes reliquas. Vti enim Graecis aeque ac bar- 14.

baris, sapientibus non minus quam non sapientibus obligatus sum;
15. ita, quantum in me situm est, uobis etiam, qui Romae estis, doctrinam euangelicam exponere paratus sum.

16. Dico uero doctrinam euangelicam de Christo. Hac enim nulla ego ratione confundor; quum diuina omnino illa uirtus sit, qua omnes, qui fidem non denegant, ad salutem deus perducit;
17. Iudaeum primum, sed etiam Graecum. Nam iustitia, ad quam deus hominem perducere cupit, ita in illa proponitur, ut, qui hanc consequi uelit, fidem historicam non denegare, & fidem fiducialem in se excitari pati debeat. Ita, ut hic fides regnet; quemadmodum scriptum alicubi est; iustus ex fide uiuet.

18. Diuinitus autem declaratur indignatio Dei, qua fertur ille aduersus omnem religionem falsam & iniquitatem hominum, qui
19. ueritatem sua iniustitia corripiunt. Eo scilicet, quod deum esse extra dubium quidem apud ipsos positum sit (ipse enim deus in
20. luce illis id posuit. Nam quae oculis cerni non possunt, aeterna ipsius vis & divinum numen, ex mundi creatione, mente scilicet ex operibus intellecta, perspiciuntur, ut nihil omnino habeant,
21. quo excusari possint). Eo, inquam, quod quamuis sciant deum esse; tamen illum non coluerunt ut deum; aut gratiarum actione ejus nomen celebrarunt, uerum uani facti sunt in ratiociniis suis, &
22. tenebris obduci coepit insipiens ipsorum mens. Dum ipsi se sa-
23. pientes putarent, stulti facti sunt. Itaque gloriam incorrupti dei assimilarunt imaginibus corrupti hominis & auium, & quadrupe-
24. dum & reptilium. Hinc permisit etiam ipsos deus animi libidini-
25. bus impurissimis; ut ipsi inter se dehonestarent corpora sua. Hi igitur, deserto uero deo, insulsa figmenta sua secuti sunt; & res creatas magis coluerunt atque uenerati sunt, quam creatorem,
26. collaudandum in omne aeuum amen: & hinc permisit etiam ipsos deus improbis animi inclinationibus. Nam mulierculae ipsorum immutarunt usum naturalem in usum contra naturam. Et sic et-
27. iam uiri, deserto usu naturali feminae, ipsi libidine exarserunt inter sese, mare cum mare turpia peragente; & ita mercedem meritis suis respondentem ex se ipsis receperunt. Itaque quod dei
28. notitiam, quam creationis opera ipsis suppeditabant, diligentiori

cogita-

Landesbibliothek Oldenburg

cogitatione dignam non putarunt; permisit ipsos deus incauto & imprudenti animo, ut ea etiam peragerent, quae facere omnium minime decet; ut scilicet pleni essent iniquitate quauis, impuritate, 29.
prauitate, auaritia, malitia; agitarentur inuidia, caedis cupiditate, contentionis studio, dolis & mores pessimos sequerentur; susurra- 30.
tores essent, detractatores, osores dei, contumelios, superbi, arro-
gantes, malorum machinatores, in parentes impii, conscientia de- 31.
stituti, fidem nullam seruantes, naturalem etiam amorem dese-
rentes, irreconciliabiles, misericordiae expertes.

OBSERVATIONES.

vs. 1.-7.

Παυλος δοῦλος Ἰησοῦ Χριστοῦ, κλητὸς ἀπόστολος, ἀφωρισμένος εἰς εὐαγγέλιον Θεοῦ, (ὃ προεπηγγείλατο διὰ τῶν προφητῶν αὐτοῦ ἐν γραφαῖς ἁγίαις,) περὶ τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ, (τοῦ γενομένου ἐκ σπέρματος Δαβὶδ κατὰ σάρκα· τοῦ ὁρισθέντος υἱοῦ Θεοῦ ἐν δυνάμει, κατὰ πνεῦμα ἁγιωσύνης, ἐξ ἀναστάσεως νεκρῶν,) Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ Κυρίου ἡμῶν. (Δι' οὗ ἐλάβομεν χάριν καὶ ἀποστολὴν εἰς ὑπακοὴν πίστεως ἐν πᾶσι τοῖς ἔθνεσιν ὑπὲρ τοῦ ὀνόματος αὐτοῦ· Ἐν οἷς ἐστε καὶ ὑμεῖς κλητοὶ Ἰησοῦ Χριστοῦ·) Πᾶσι τοῖς οὖσιν ἐν Ρώμῃ, ἀγαπητοῖς Θεοῦ, κλητοῖς ἁγίοις.

Ita haec interpunguntur in editis: sed rescribendum, uti uoluit Io. Clericus, *Art. Crit. P.* III. *S.* I. *C.* XI. §. 7. Tom. II. p. m. 152. Παῦλος δοῦλος Ιησοῦ Χριστοῦ, κλητὸς ἀπόστολος, ἀφωρισμένος εἰς εὐαγγέλιον Θεοῦ [ὃ προεπηγγείλατο διὰ τῶν προφητῶν αὐτοῦ ἐν γραφαῖς ἁγίαις περὶ τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ [τοῦ γενομένου ἐκ σπέρματος Δαβὶδ κατὰ σάρκα, τοῦ ὁρισθέντος υἱοῦ Θεοῦ ἐν δυνάμει, κατὰ πνεῦμα ἁγιωσύνης ἐξ ἀναστάσεως νεκρῶν] Ιησοῦ Χριστοῦ τοῦ Κυρίου ἡμῶν, δι' οὗ ἐλάβομεν χάριν καὶ ἀποστολὴν εἰς ὑπακοὴν πίστεως ἐν πᾶσι τοῖς ἔθνεσιν, ὑπὲρ τοῦ ὀνόματος αὐτοῦ· ἐν οἷς ἐστε καὶ ὑμεῖς, κλητοὶ Ιησοῦ Χριστοῦ] πᾶσι τοῖς οὖσιν ἐν Ρωμῃ ἀγαπητοῖς Θεοῦ, κλητοῖς ἁγίοις. Insuper deleuimus post uocem Ρώμῃ distinctionem

Landesbibliothek Oldenburg

minorem, & post ἁγίοις maiorem posuimus. Πᾶσι τοῖς οὖσιν ἐν Ρώμῃ ἀγαπητοῖς θεοῦ, κλητοῖς ἁγίοις. χάρις ὑμῖν. κ. τ. λ. Neque enim Romanis omnibus ac singulis scribit Apostolus; neque omnes, qui Romae degebant, ἀγαπητοὶ θεοῦ erant; quod tamen dicendum esset, si distinguendi uulgaris ratio ualeret.

Post uerba κλητοῖς ἁγίοις, ubi distinctionem maiorem ponendam esse dixi, subintelligo χαίρειν; quam uocem omisit etiam Clemens Romanus *in prima ad Corinth. Epistola:* ἡ ἐκκλησία τοῦ θεοῦ ἡ παροικοῦσα Ρώμην τῇ ἐκκλησίᾳ τοῦ θεοῦ παροικούσῃ Κόρινθον, κλητοῖς ἡγιασμένοις ἐν θελήματι θεοῦ, διὰ τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ιησοῦ Χριστοῦ. χάρις ὑμῖν καὶ εἰρήνη κ. τ. λ. S. uero Ignatius eam uocem in suis *epistolis* addit.

vs. 4.

Τοῦ ὁρισθέντος υἱοῦ θεοῦ ἐν δυνάμει κατὰ πνεῦμα ἁγιωσύνης ἐξ ἀναστάσεως νεκρῶν.

Quid in his D. Apostoli uerbis πνεῦμα ἁγιωσύνης sit, de eo mirifice inter se dissentiunt interpretes doctissimi. De quorum sententiis multa hic in medium proferre, quum omnino superuacaneum foret; liceat nobis, quid de re omni sentiamus, statim exponere.

Putamus uero per πνεῦμα ἁγιωσύνης intelligere apostolum *Spiritum S. in regno gratiae operantem.* Vt uerborum Paulli sententia sit: *Iesum Christum ualide se post resurrectionem suam e mortuis filium dei demonstrasse per missionem Spiritus S. in regno gratiae operantis.* Et primo quidem per quam rem magis ἐν δυνάμει, *ualide*, se filium dei demonstrauit seruator noster, quam per missionem Spiritus nos in regno gratiae sanctificantis? Vt mitteret hunc, homo factus est; mortem subiit; sepultus est; resurrexit ex mortuis; in caelum ascendit. Omne igitur, quicquid Christus fecit, quicquid etiam perpessus est; illud fecit, illud perpessus est, ut Spiritum S. mittere posset. Immo nisi Spiritum regni gratiae misisset, neque credere in ipsum, neque iustificari in iudicio diuino, neque colere adeo ut deum, Christum nostrum possemus.

Valide

Valide igitur filium dei se Iesus Christus demonstrauit, dum Spiritum ἁγιωσύνης misit.

Sed appellationem τοῦ πνεύματος ἁγιωσύνης conuenire in Spiritum regni gratiae, a Christo missum, ostendendum est. Per *sanctificationem* intelligitur sacris in literis illud diuinum opus; quo uariae imperfectiones ab hominibus remouentur, illisque sanctitas interna confertur; quod ipsae sacrae literae per *appropriationem* Spiritui S. tribuunt. Inde omnino Spiritus S., qui in regno gratiae operatur, πνεῦμα ἁγιωσύνης dicitur ab Apostolo. Nam *sanctificatio* referenda est ad regnum gratiae; immo ultimus, uti in scholis doceri solet, gratiae applicatricis Spiritus S. gradus est. Ab *illuminatione* enim dependet *fides in Christum*; ab hac *fides in deum*; ab hac *amor* & *timor dei filialis*; hic uero studium secum coniunctum habet actionum suarum ad leges diuinas componendarum, quod *sanctitas* appellari solet. Vid. Cel. IO. PETR. REVSCHIVS, *in Introduct. in Theol. Reuel.* §. DXXXIX. p. 1005. seqq. Quodsi igitur Spiritum S. πνεῦμα ἁγιωσύνης, siue qui hominibus sanctitatem confert, dicit Paullus noster; ea appellatione omnem Spiritus S. gratiam applicatricem complectitur; idemque est, ac si Spiritum illum, *qui in regnō gratiae operatur*, nominasset.

Et hanc τοῦ πνέυματος ἁγιωσύνης explicationem confirmant etiam uerba, ἐξ ἀναστάσεως νεκρῶν. Factam illam filii dei demonstrationem dicit S. Apostolus, *post resurrectionem e mortuis.* Iam uero ipse Christus apud Io. XVI. 7. dixerat; ἐὰν μὴ ἀπέλθω, ὁ παράκλητος οὐκ ἐλεύσεται πρὸς ὑμᾶς· ἐὰν δὲ πορευθῶ, πέμψω αὐτὸν πρὸς ὑμᾶς. Et idem hoc promisit etiam Saluator optimus apud Io. XIV. 16. & 26. & XV. 26. Spiritus uero, quem Christus post resurrectionem suam misit, est Spiritus regni gratiae.

His expositis, facile sentire poterimus, cur Paullus sub initio statim epistolae suae Romanos cogitare iubeat, Christum, in quem crederent, per missionem maxime τοῦ πνεύματος ἁγιωσύνης deum se demonstrasse. Scilicet quum illi, qui Romae erant, & partim ex Iudaeis Christi castra secuti fuerant, hominem per opera legis iustificari in iudicio dei crederent; in allocutione statim illos mo-

net; euangelium ipsos recepisse, quod de Christo exponeret, qui se maxime per missionem τοῦ πνεύματος ἁγιωσύνης filium Dei demonstrasset. Nam si ἡ ἁγιωσύνη Spiritus S. opus est; haec uero sine fide in Christum esse non potest: certe non propter opera, sed propter solam fidem in Christum homo iustificari debet.

vs. 5.

χάριν καὶ ἀποστολὴν

Gratiam apostolatus, uid. Glasius, *Philol. sacr. Lib.* III. *Tr. I. Canon.* XLII. p. m. 316. sq. ed. Amstel. Confirmat hanc interpretationem Catena Ms. in Epist. ad Rom. in Bibl. Bodleiana, ubi χάριν ἀποστολῆς, teste Millio.

Ibid.

εἰς ὑπακοὴν πίστεως

Longius profecto a uera horum uerborum sententia absunt, qui πίστιν de *fide actuali*, seu *actu fidei* interpretantur. Πίστις hoc loco *doctrina Euangelica* est, & opponitur *doctrinae operum*, siue *legi*.

Et haec τῆς πίστεως *significatio* satis apud scriptores sacros frequens est, licet interpretibus non aeque omnibus nota satis. Denominationis ratio peti inde debet, quod doctrina Euangelica de Christo solam *fidem* ad salutem requirit, exclusis omnibus legis operibus a caussae ratione. Ita *Act.* VI, 7. legimus, πολύς τε ὄχλος τῶν ἱερῶν ὑπήκουον τῇ πίστει. *magnus omnino sacerdotum numerus doctrinam Euangelicam recipiebat.* & ibid. XVII. 31. dicitur deus πίστιν παρασχὼν πᾶσιν. quae uerba non exponi debent, *fidem eius rei faciens omnibus*, ut factum ab interpretibus uideo; sed *doctrinam euangelicam de Iesu Christo omnibus ante oculos ponens.* Ad *Rom.* XVI. 26. ὑπακοὴ πίστεως *obsequium est*, *doctrinae euangelicae praestandum* ad *Gal.* III. 2. τοῦτο μόνον θέλω μαθεῖν ἀφ' ὑμῶν, ἐξ ἔργων νόμου τὸ πνεῦμα ἐλάβετε, ἢ ἐξ ἀκοῆς πίστεως; *id unum a uobis discere cupio; Spiritum, qui sanctificat, utrum per legem operum, an uero per doctrinam euangelicam consecuti estis?* & ibid. 23. πρὸ τοῦ δὲ ἐλθεῖν τὴν πίστιν, ὑπὸ νόμον ἐφρουρούμεθα,

ante-

antequam doctrina euangelica praesens reuelaretur, sub legis custodiam dediti eramus & mox 25. ἐλθούσης δὲ τῆς πίστεως, οὐκ ἔτι ὑπὸ παιδαγωγόν ἐσμεν. *quum uero doctrina euangelica apparuit, diutius sub paedagogi custodia non sumus.*

Paullinorum igitur uerborum, de quibus hic agimus, sententia est: gratioſe ſibi demandatum eſſe apostoli munus, ut omnes gentes adducere ſtudeat ad obſequium doctrinae euangelicae praeſtandum; quae excluſis omnibus legis operibus, ad iustificationem in dei iudicio ſolam ab hominibus fidem poſcat. Non enim ſine emphaſi πίστεως hic potisſimum appellatione utitur ſanctisſimus apoſtolus; qui hac ipſa epistola Romanis errorem euellere cupit, qui per legis etiam opera, non per ſolam fidem hominem in iudicio dei iustificari credebant.

Ibid.

ἐν πᾶσι τοῖς ἔθνεσιν.

Etiam haec cum ſummo iudicio addita ſunt a Paullo; qui hic quoque ad Romanorum errorem reſpicit. Nam Exiudaei mira Iudaeorum priuilegia ſomniabant; & his erroribus ſuis Exgentilibus molesti erant. In his erat; eos ex gentibus, qui promisſionibus a Deo Abrahamo factis frui uellent, proſelytos fieri oportere.

Ibid.

ὑπὲρ τοῦ ὀνόματος αὐτοῦ.

Nomine, uel *auctoritate ipſius*; Moſis auctoritate omni excluſa.

vs. 8.

εὐχαριστῶ τῷ θεῷ μου διὰ Ιησοῦ Χριστοῦ.

Iohannes Clericus *ad h. l.* haec exponit, *ut Christianus*. Non ita bene, quia obſcurius. Εὐχαριστεῖν τῷ θεῷ est, profiteri, bona omnia, quae accepimus, aut etiam quae effecta per nos ſunt, a deo eſſe profecta; ideoque uni illi tribuenda. Addit apoſtolus διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ; quia illud ipſum εὐχαριστεῖν non a uiribus hominis naturalibus pendet, ſed opus est Spiritus Ieſu Christi; & quia omnia bona deus in nobis per Christum efficit.

Landesbibliothek Oldenburg

Ibid.

ἐν ὅλῳ τῷ κόσμῳ.

Κόσμον de mundi parte interpretatur Romano imperio subiecta. Romanos quidem suum imperium *terrarum orbem*, uel *orbem* simpliciter dicere, ueterum exempla docent, uide Cortium *ad* Cic. *ad diuers.* II. 16. 13. Cel. Arntzenium *ad Aur. Vict. Epit.* 43. Sed Graecos κόσμον ita usurpare, non memini; qui potius ea significatione οἰκουμένης uoce uti solent. Mallem igitur Paulli in uerbis ὅλον τὸν κόσμον interpretari, omnes regiones, ubi quidem sunt coetus Christianorum; qui Paulli iam temporibus in regionibus sat disitis erant. Ita a Clemente Romano dicitur Paullus δικαιοσύνην διδάξας ὅλον τὸν κόσμον, qui omnem fere mundum iustitiam docuit, *Epist.* I. *ad Corinth. cap.* 5.

vs. 9.

ὡς ἀδιαλείπτως κ. τ. λ.

ὡς h. l. positum est pro ὅτι. Aristoph. Plut. 249. Αλλ' εἰσίωμεν ὡς ἰδεῖν σε βούλομαι. Thucydid. I. 34. Ἤν δὲ λέγωσιν, ὡς οὐ δίκαιον τοὺς σφετέρους ἀποίκους ὑμᾶς δέχεσθαι κ. τ. λ.

vs. 10.

πάντοτε

Vocem hanc pro glossa τοῦ ἀδιαλείπτως habent Iunius, Beza, Curcellaeus, alii. Omittunt quidem Wech. & Cod. uet. Magd. (ubi uero in margine habetur) hanc particulam; sed plerique, illique antiquissimi & optimi Codd. Mss. illam agnoscunt. Recte igitur Io. Millius receptam lectionem defendit. Neque enim qua ratione illud πάντοτε glossa τοῦ ἀδιαλείπτως, quae ex margine in textum irrepserit, esse possit, facile apparet; quum uerba πάντοτε ἐπὶ τῶν προσευχῶν μου δεόμενος κ. τ. λ. omnino declarent superiora, ὡς ἀδιαλείπτως μνείαν ὑμῶν ποιοῦμαι.

vs. 12.

τοῦτο δέ ἐστι συμπαρακλ. κ. τ. λ.

Laurentius Valla legit τοῦτο δὲ εἰς τὸ συμπαρακληθῆναι.

praeter

praeter necesſitatem, & contra libros veteres, qui omnes uulgatam lectionem tuentur; excepto Cod. Alexandr. qui τουτέστι legit, quod ipſum uero propius ad uulgatam, quam ad Laurentii lectionem accedit. Ἐν ὑμῖν uertimus, *dum apud uos eſſem.* Loquitur uero apostolus de ſuo, quod mente conceperat, ad Romanos itinere. Πίστιν h. l. intelligo potisſimum de fide obiectiua: tamen ſubiectiua non plane excluſa.

vs. 13.

ἵνα καρπόν τινα σχῶ

Scilicet dum confirmare Romanos in fide, & errores illis euellere praeſens cupiebat.

vs. 14.

ἕλλησι τε καὶ βαρβάροις, σοφοῖς τε καὶ ἀνοήτοις ὀφειλέτης εἰμί.

Vbi igitur Iudaei ſunt? illosne etiam *barbarorum* nomine complectitur apostolus? puto omnino. Loquitur enim noster ex more Graecorum; quibus, ut Seruius dicit *ad Virg. Aen.* II. 504. πᾶς μὴ Ελλην, βάρβαρος. Vide omnino loca ueterum, quae collegit hanc in rem b. Io. Conr. Schwarz, *Comment. Graecae Ling. N. T.* p. 235. Immo claris uerbis Iudaeos barbaros uocat Iuſtin. Martyr, *Apol. I. pro Christian. Cap.* 5. p. m. 10. ed. Io. Ern. Grabe, οὐ γὰρ μόνον Ελλησι, διὰ Σωκράτους ὑπὸ λόγου ἠλέγχθη ταῦτα, ἀλλὰ καὶ ἐν βαρβάροις ὑπ' αὐτοῦ τοῦ λόγου μορφωθέντος καὶ ἀνθρώπου γενομένου, καὶ Ιησοῦ Χριστοῦ κληθέντος. *Non modo enim apud Graecos per Socratem a ratione haec ſunt reprehenſa; ſed apud barbaros quoque ab ea ipſa ratione formam atque naturam humanam aſſumente, ac Ieſu Chriſti nomen indepta.* & *Cap.* 61. p. m. 91. οἷον ἐν Ελλησι μὸν Σωκράτης καὶ Ηράκλειτος, καὶ οἱ ὅμοιοι αὐτοῖς. ἐν βαρβάροις δέ Αβραὰμ καὶ Ανανίας, καὶ Αζαρίας, καὶ Μισαὴλ, καὶ Ηλίας, καὶ ἄλλοι πολλοί. *quales inter Graecos fuerunt Socrates & Heraclitus, atque iis ſimiles: inter barbaros autem Abraam, & Ananias, & Azarias, & Miſaël, & Elias, & alii complures.* Tatianus *Orat. ad Graecos cap.* 48. p. m. 105. ed. Wilh. Worth. Moſen πάσης βαρβάρου σοφίας ἀρχη-

γὸν uocat. Ita etiam Clemens Alexandr. *Stromat. Lib.* V. *Cap.* I. p. m. 649. ed. Io. Potteri τῆς βαρβάρου φιλοσοφίας nomine Mosis & prophetarum scripta intelligit. uide ibi Io. Potteri Obseruationem.

Vox σοφοῖς Graecos respicit; illa, ἀνοήτοις, barbaros. Optime Io. Piscator *ad h. l. Puto*, inquit *prius membrum per posterius declarari. Nam Graeci sapientes haberi uolebant; caeterasque gentes, ut barbaras & insipientes, contemnebant.* Scilicet putabatur olim Graecia literarum & omnis sapientiae sedes. Hinc Cicero *de Orat.* I. 4. Athenas *omnium doctrinarum inuentrices* uocat; & *pro Flacco cap.* 4. *Hoc dico*, inquit, *de toto genere Graecorum; tribuo illis literas; do multarum artium disciplinam*, caet. Inde summus Graecorum fastus; de quo quaedam habet Freinshemius *ad Phaedr.* II. *Epil.* 9. Ipse etiam D. Paullus 1. *ad Corinth.* I. 22. ἐπειδὴ καὶ Ιουδαῖοι σημεῖον αἰτοῦσι, καὶ Ελληνες σοφίαν ζητοῦσιν.

vs. 16

οὐ γὰρ ἐπαισχύνομαι τὸ εὐαγγέλιον τοῦ Χριστοῦ

Transit D. apostolus ad suam thesin; hominem per solam fidem in Christum, quam docet euangelium, coram deo iustificari. Dixerat, se, quantum in ipso positum, paratum esse, illis etiam, qui Romae sint, εὐαγγελίσασθαι, qui non Mosis, sed solius Christi Iesu doctrinam expositurus Romanis erat. Addit statim; οὐ γὰρ ἐπαισχύνομαι τὸ εὐαγγέλιον τοῦ Χριστοῦ: quasi diceret; Nolite uero, mirari, Romani, me dicere, paratum me esse εὐαγγελίσασθαι ὑμῖν, & nullam plane legis, quam forte expectatis, qui per legis opera iustificari hominem coram deo opinamini, mentionem facere. Nolite, inquam, mirari hoc; nulla enim ratione doctrina euangelica de Christo confundor, si solam illam hominibus saluandis expositurum me esse dico; quum sola illa, absque omni legis Mosaicae ope, viam ad iustificationem coram deo demonstrare hominibus ualeat, & re ipsa demonstret. Ἐπαισχύνομαι τὸ εὐαγγέλιον dictum est pro ἐπαισχύνομαι κατὰ τὸ εὐαγγέλιον; quam praepositionem saepius Graecos omittere, notissimum est. uid. Lamb. Bos, *Ellipf. Graec.* p. m. 372.

Ibid.

Landesbibliothek Oldenburg

Ibid.

δύναμις γὰρ θεοῦ ἐστιν εἰς σωτηρίαν.

Declarat iam causſam, quam ob rem doctrina euangelica de Christo, etiam ſi nullam legis Moſaicae apud homines ſaluandos mentionem faciat, non confundatur. Dicitur uero euangelium a ſcriptore ſacro *δύναμις τοῦ θεοῦ* in oppoſitione legis. Nam *lex δυνάμεις* hominum poſcebat; *euangelium* hominibus uires ſupernaturales promittit. Deus enim per illud efficit, quod lege effici non poterat, ad Rom. VIII. 3. *Lex ἠσθένει διὰ σαρκὸς*, quo minus ad ſalutem perducere hominem poſſet; per *euangelium* uero deus uires ſupernaturales homini donat, quibus ad ſalutem ille perueniat. Hinc dicitur euangelium *δύναμις θεοῦ εἰς σωτηρίαν.* Continetur uero his uerbis theſis apostoli: *ſola fides iuſtificat.*

Ibid.

Ιουδαίῳ τε πρῶτον καὶ Ελληνι.

Non reſpectu efficaciae, ſed tantum externae diſpoſitionis oeconomiae ſalutis, uide Matth. X. 6. Act. XIII. 46.

vs. 17.

Δικαιοσύνη γὰρ θεοῦ ἐν αὐτῷ ἀποκαλύπτεται ἐκ πίστεως εἰς πίστιν.

Δικαιοσύνη θεοῦ est iuſtitia, ad quam deus ſua *δυνάμει* per euangelicam doctrinam hominem, diuinae ſe gratiae permittentem, perducit. Haec uero dicitur *δικαιοσύνη θεοῦ*, quia illam ſolus deus efficit, & *λογίζεται χωρὶς ἔργων*, Rom. IV. 6. Illa *δικαιοσύνη θεοῦ ἀποκαλύπτεται ἐν τῷ εὐαγγελίῳ ἐκ πίστεως εἰς πίστιν*, quum illa *ἐν τῷ νόμῳ δικαιοσύνη* fuerit *ἐκ πίστεως εἰς ἔργα.* Noſter, infra X. 5. *Μωσῆς γράφει τὴν δικαιοσύνην τὴν ἐκ τοῦ νόμου· ὅτι ὁ ποιήσας αὐτὰ ἄνθρωπος ζήσεται ἐν αὐτοῖς.*

Verba igitur *ἐκ πίστεως εἰς πίστιν* rationem indicant & modum *τῆς ἀποκαλύψεως τῆς δικαιοσύνης τοῦ Θεοῦ ἐν τῷ εὐαγγελίῳ* Itaque *πίστεως* uox, primo loco poſita, *fidem hiſtoricam* denotat; ſecundo loco, *fidem iuſtificantem*, ſiue *ſaluificam.* Nam qui per

Landesbibliothek Oldenburg

doctrinam euangelicam peruenire uult ad δικαιοσύνην τοῦ Θεοῦ, fidem historicam euangelio denegare non debet, ut fides saluifica excitari in ipso possit. Hinc Paullinorum uerborum sententia erit; deum in doctrina euangelica de Christo ita hominibus iustitiam proponere; ut, si ea, quae euangelium docet, *fide historica* acceperint, non ad *opera*, ut olim sub lege, ueniendum ipsis sit, sed ad *fidem*. Scilicet homo, qui euangelio fidem historicam praebuit, & fidem fiducialem a Spiritu S. in se excitari passus est; in eum omnino statum a deo adductus est; ut meritum Christi, & hinc omnia a Christo parta bona, sua reputet; in deo confidat, deum super omnia amet ac timeat, id est; deum ne laedat, summo studio caueat. Cuius uero haec a deo effecta est conditio, is certe ad ipsam δικαιοσύνην adeo perductus est.

Ibid.

ὁ δὲ δίκαιος ἐκ πίστεως ζήσεται.

Habac. II. 4. uide b. Wolfium, *in Curis Philol. & Crit. ad h. l.* a Limborch, *in Comment. ad h. l.* p. 233. sq. Probat uero Paullus hoc sacrarum literarum testimonio ulterius, iustitiam coram deo ualentem per fidem homines consequi. Voces ἐκ πίστεως referendae uidentur ad uocem δίκαιος, apud Prophetam etiam.

vs. 18.

Ἀποκαλύπτεται γὰρ ὀργὴ Θεοῦ ἀπ' οὐρανοῦ.

Nouum argumentum, iustitiam fidei fructum esse; dum opera hominum ad consequendam salutem prorsus inutilia esse, & mortem mereri, ostendit ex uita & moribus hominum. Quod si enim deus ὀργῇ prosequitur hominum opera; certe pro iustis habere homines propter opera non potest. Quomodo uero fiat illa ἀποκάλυψις ὀργῆς Θεοῦ demonstrat in sequentibus.

Ibid.

ἀσέβειαν καὶ ἀδικίαν.

Ἀσέβειαν uerto *religionem falsam*; neque tamen multum repugno, si *impietatem* malueris. Nostra tamen uersio Graecae uocis

cis uim magis exprimere uidetur. Ασέβεια enim tam ineptam & deo indignam colendi ſummi numinis rationem denotat, quam ſummum ueri dei neglectum. Vtrumque Latine *falſa religio* dici potest. Vt autem ἀσεβείᾳ deum laedimus, ita ἀδικίᾳ aduerſus res creatas peccamus. Et haec illam omnino ſequitur. Nam qui dei reuerentiam exuit, ille neque rebus creatis honorem, quem illis debet, praestabit.

Ibid.

τῶν τὴν ἀλήθειαν ἐν ἀδικίᾳ κατεχόντων.

Αλήθεια est, quicquid rei cuiusuis naturae conſentaneum est; qua ſignificatione etiam Romani ſua uoce *ueritas* utuntur. Iam uero, quum quod rei cuius uis naturae conſentaneum est, *iustum ſit;* Graeci ſuum ἀληθὲς, Romani *uerum*, pro *iusto* ponunt, uid. Cotelerius *ad Recognit. Clement.* III. 18. Io. Georg. Graeuius, *Lect. Heſiod. Cap.* 6. p. m. 30. uti illae cum Heſiodo Io. Clerici editae ſunt. Buchnerus & Cortius *ad Plin. Lib.* VIII. *Ep. 2. ſ. 3.* Ille uero, qui rerum naturae ac rationi minus conſentaneum agit, omnino τὴν ἀλήθειαν ἐν ἀδικίᾳ κατέχει. Igitur ἀληθὲς ποιεῖ, *uerum facit;* qui cultum deo praestat, perfectionibus ipſius dignum; & hinc in rebus etiam creatis ſcopum creationis quam potest diligentiſſime obſeruare ſtudet: qui contra agit, τὴν ἀλήθειαν ἐν ἀδικίᾳ κατέχει.

vs. 19.

Διότι τὸ γνωστὸν τοῦ θεοῦ φανερόν ἐστιν, ἐν αὐτοῖς· ὁ γὰρ θεὸς αὐτοῖς ἐφανέρωσε· Τὰ γὰρ ἀόρατα αὐτοῦ ἀπὸ κτίσεως κόσμου, τοῖς ποιήμασι νοούμενα καθορᾶται, ἥ τε ἀΐδιος αὐτοῦ δύναμις καὶ θειότης, εἰς τὸ εἶναι αὐτοὺς ἀναπολογήτους.

Διότι est *eo quod.* Declarare iam incipit gentium ἀσέβειαν καὶ ἀδικίαν. Lectio Codd Ge. Boerner. Cu. ὅτι, gloſsa est τοῦ διότι, & nostram interpretationem confirmat. Incipit uero iam apostolus declarare modum τῆς ἀποκαλύψεως ὀργῆς Θεοῦ, & quidem in gentibus. Eo ſcilicet, quod, quum deus ſe ipſis reuelauerit ipſae uero agnoſcere illum noluerint, eas permiſit inſipienti ipſarum menti, & ad tantos errores tantaque ſcelera prolabi ſiuit.

Nam

Nam uti deus per conseruationem ueritatis suam gratiam hominibus declarat; ita ὀργῆς, irae diuinae, indicium est ueritatis ablatio, quae eius contemtum sequi solet.

In exponendis uerbis, τὸ γνωστὸν τοῦ θεοῦ assentior Seb. Schmidio, γνωστὸν, dicenti *in Comment. ad h. l.* p. 81. *neutraliter & substantiue est* certitudo irrefragabilis & per se nota: γνωστὸν τοῦ θεοῦ *certitudo dei, seu de deo, quod deus reuera sit, irrefragabilis & per se nota.* Quam quidem b. uiri interpretationem ipse Paullus probat infra, vs. 21. ubi haec ipsa exponit, γνόντες τὸν θεὸν.

Verba; ὁ γὰρ θεὸς αὐτοῖς ἐφανέρωσε. Τὰ γὰρ ἀόρατα αὐτοῦ ἀπὸ κτίσεως κόσμου, τοῖς ποιήμασι νοούμενα, καθοράται, ἥ τε ἀΐδιος αὐτοῦ δύναμις καὶ θειότης εἰς τὸ εἶναι αὐτοὺς ἀναπολογήτους, parentheſi includi debent; quum abrumpat hic orationem apostolus, in qua inferius demum vs. 21. pergit, διότι γνόντες τὸν θεὸν κ. τ. λ. Probat autem his, τὸ γνωστὸν τοῦ θεοῦ φανερὸν εἶναι ἐν αὐτοῖς.

Τὰ ἀόρατα αὐτοῦ. *Nam quem colimus Deum*, Minucii Felicis uerba sunt, *Octau.* 32. p. m. 330. ed. Gronou. *nec ostendimus, nec uidemus, immo ex hoc deum credimus, quod eum sentire possumus, uidere non possumus.* Ipse etiam Paullus, quae sint τὰ ἀόρατα αὐτοῦ, mox exponit; ἥ τε ἀΐδιος αὐτοῦ δύναμις καὶ θειότης. Caeterum τὰ ἀόρατα αὐτοῦ iungi in constructione debent cum illis, ἀπὸ κτίσεως κόσμου καθοράται.

Ἀπὸ hoc loco *ex* denotare, praeceperunt iam interpretes; qui iidem τὰ ποιήματα de *operibus creationis* intelligenda esse, recte monuerunt. Vide inprimis Cl. Elsnerum, *Obseru. sacr. in N. T. Libb. ad h. l.* Tom. II. p. 5. seq. Egregius, & plane huc pertinens est S. Athenagorae locus, quem ideo praetermittere noluimus, *Legat. pro Christian. Cap.* 6. p. m. 23. ed. Cl. Dechair. τὸν δὲ ἀπὸ τῶν ἔργων ὄψει τῶν ἀδήλων νοῶν τὰ φαινόμενα ἄερος, ἀιθέρος, γῆς. οὗ οὖν τὰ ποιήματα, καὶ ὑφ' οὗ τῷ πνεύματι ἠνιοχεῖται τοῦτον καταλαμβάνετο εἶναι θεόν *hunc autem, qui inuisibilis deus est, ex operibus, quae apparent, obseruatis aëre, coelo, & terra, percipiebat (Euripides). Cuius igitur opera sunt haec, & per quem spiritu suo reguntur, ipsum deprehendebat esse deum.*

Εἰς

Εἰς τὸ εἶναι αὐτοὺς ἀναπολογήτους. Scilicet, quasi τὰ ἀόρατα θεοῦ sentire non potuissent; & hinc ὀργὴ θεοῦ, iniusta esset.

vs. 21.

ἢ εὐχαρίστησαν.

i. e. non meminerunt, deo, rerum omnium parenti, accepta omnia referenda esse.

Ibid.

ἀλλ' ἐματαιώθησαν ἐν τοῖς διαλογισμοῖς αὐτῶν, καὶ ἐσκοτίσθη ἡ ἀσύνετος αὐτῶν καρδία.

Haec mirifice illustrantur Athenagorae uerbis, *Legat. pro Christian.* cap. 6. p. m. 31.

vs. 25.

Οἵτινες μετήλλαξαν τὴν ἀλήθειαν τοῦ Θεοῦ ἐν τῷ ψεύδει, καὶ ἐσεβάσθησαν καὶ ἐλάτρευσαν τῇ κτίσει παρὰ τὸν κτίσαντα, ὅς ἐστιν εὐλογητὸς εἰς τοὺς αἰῶνας, ἀμήν.

Vt uerborum seriem declaremus, sunt, qui parenthesi haec includant: alii alia ratione expedire se conantur. Ego quidem apostolum, animi ardore abreptum, eadem fere, quae superius dixerat, hic repetere existimo. Dico eadem fere, quae superius dixerat; nam qui hic ἀλήθειαν τοῦ Θεοῦ plane idem esse, quod superius δόξαν τοῦ θεοῦ, & ἐν τῷ ψεύδει, omnino idem, quod in antecedentibus ἐν ὁμοιώματι εἰκόνος φθαρτοῦ ἀνθρώπου κ. τ. λ. denotare putant, apostoli mentem omnino cepisse non uidentur. Μετήλλαξαν τὴν ἀλήθειαν τοῦ θεοῦ ἐν τῷ ψεύδει est, omissis ueri dei attributis, ipsi sibi numina & attributa diuina mentiri coeperunt. Inde autem oriebatur τὸ λατρεύειν τῇ κτίσει παρὰ τὸν κτίσαντα, & τὸ ἀλλάττειν τὴν δόξαν τοῦ ἀφθάρτου θεοῦ ἐν ὁμοιώματι εἰκόνος φθάρτου ἀνθρώπου, καὶ πετεινῶν καὶ τετραπόδων καὶ ἑρπετῶν. Caeterum de peruersis gentium moribus lege Cornel. Adami *Exercit. de malis Romanorum ante praedicationem euangelii moribus ad Rom.* I. 18.-32. quae in eius *Exercitt. exeget.* quinta est.

v. 27.

καὶ τὴν ἀντιμισθίαν, ἣν ἔδει, τῆς πλάνης αὐτῶν ἐν ἑαυτοῖς ἀπολαμβάνοντες.

Scilicet quod eo usque processerunt turpitudinis, ut, uti Chrysostomus *in Ep. ad Cor.* I. *cap.* 4. *Hom.* 13. loquitur, ipsam natu-

Landesbibliothek Oldenburg

ram iniuria affecerint. Optime *ad h. l.* monuit Erasmus, quaedam flagitia eiusmodi esse, ut non ipsa solum sint scelera, uerum etiam scelerum poenae.

vs. 28.

ἢ καθὼς οὐκ ἐδοκίμασαν τὸν Θεὸν ἔχειν ἐν ἐπιγνώσει.

Δοκιμάζειν est, consilio, id est, re diligenter considerata, & ratione subducta, probare quid. Quodsi igitur Paullus de gentibus dicit, οὐκ ἐδοκίμασαν τὸν θεὸν ἔχειν ἐν ἐπιγνώσι; id uult; gentes non diligenter & curiose satis notitiam dei, quam opera creationis ipsis afferebant, secum reputare uoluisse; & hinc neque probare, laudare ac augere illam studere potuisse.

Ibid.

ἀδόκιμον νοῦν.

Ἀδόκιμος νοῦς est, animus nihil diligenter ac pro rei dignitate & ueritate considerans; animus imprudens & incautus maxime. Paulli mens est; quum gentes in notitiam dei, ex creationis operibus haustam, diligentius inquirere, ut probare & laudare illam potuissent, noluerint; permisisse deum imprudentes homines animo incauto suo, & nihil pro rerum ueritate aestimanti. Inde illud ποιεῖν τὰ μὴ καθήκοντα. Animus enim in dei perfectiones minime inquirens, sed ipse sibi numinis diuini uirtutes fingens, in uita etiam incautus & improuidens erit; & quum de honesto ac turpi minus uere sentiat, etiam τὰ μὴ καθήκοντα maxime probabit. Non inepte Hammondus & Momma *ad h. l.* allusionem in uocibus οὐκ ἐδοκίμασαν & ἀδόκιμον νοῦν obseruari iubent; quamuis uterque ἀδόκιμον νοῦν non ita bene interpretetur, *mentem nec deo, nec hominibus probatam.*

vs. 29.

πονηρία.

Omittunt hanc uocem Cl. Gr. Lat. Gegr. Lat. p. 3. Bas. 2. Boerner Gr. Lat. Cu. Millius dicit, *forsan quod superfluum, sequitur enim* κακία. Fateor, abesse potest una uox ex duabus illis: sed quum codicum multitudo utramque tueatur; alteram loco mouere uelle, temerarium foret; inprimis quum ita explicari omnia possint, utrique uoci sua uis ut constet. Et Paullum nostrum etiam

1. Cor.

Landesbibliothek Oldenburg

1. *Cor.* V. 8. κακίαν & πονηρίαν coniunxisse, b. Wolfius *in Curis ad h. l.* obseruauit.

vs. 30.

θεοστυγεῖς.

Pollux, *Onomast.* I. 21. Sallust. *Catilin.* 15. *animus impurus, diis hominibusque infestus.*

vs. 31.

ἀσυνέτους, ἀσυνθέτους.

Grotius ex una uoce, uarie scripta, duas factas putat; quem sequitur Zach. Pierce. Vtrumque notarunt iam uiri docti: uid. b. Wolfius *in Curis ad h. l.* Ασυνθέτους exponit Theophylactus, τοῖς συμπεφωνημένοις οὐκ ἐμμένοντας, *nihil pactorum seruantes.*

Ibid.

ἀσπόνδους.

Millius hanc uocem quia in Codd. & uersionibus nonnullis omittitur, suspectam habet; merito hoc nomine notatus a b. Wolfio *in Curis ad h. l.* Caeterum ἄσπονδον proprie eum dici obseruauit b. Io. Conr. Schwartzius *Comment. Gr. Ling. N. T.* p. 206., qui nec sacris, nec conuiuiis interest, in quibus libare solebant diis, amicitiae & sacrae cuiusdam concordiae stabiliendae caussa. Vere haec esse dicta, ex Polluce, *Onomast.* VI. 30. colligere licet. Inde uero uides, non contemnendam esse b. Gotofr. Olearii sententiam, quam ex *Praelect. Mss. in h. l.* affert b. Wolfius *l. c.* ἀσπόνδους eos esse, qui ne arctissimis quidem religionis uinculis uniri possunt. Certe ἄσπονδος saepissime eum denotat, quem nulla plane ratione amicum tibi reddere potes. Ita Pollux, *Onomast.* I. 150. ubi περὶ ἐχθρῶν ὠμῶν agit, eos ἀσπόνδους nominari posse dicit; & in *Constitt. Apost.* II. 46. μῖσος ἄσπονδον est *indelebile odium.*

CAPVT II.

Illi uero, qui sciunt, talia peragentes ex legibus diuinis dignos morte esse; non solum ea ipsa faciunt, sed illis etiam, qui agunt ista, plaudunt. Et hinc excusari nulla ratione potes, mi homo, quisque etiam sis, qui sententiam ferre audes: in quo enim 32. 1.

sententiam de altero fers, ipse te condemnas; nam qui iudex sedes,
2. eadem, quae damnas, ipse peragis. Nouimus uero, dei iudicium
3 aduersus illos, qui talia committunt, solam ueritatem sequi. Reputa igitur tecum, mi homo, qui sententiam de iis, qui talia peragunt, ferre audes, et eadem tamen ipse facis, qua tandem ratione iudicium dei subterfugies?

4. Aut num tu ingenti ipsius bonitate, tolerantia, & animi lenitate fastidiose abuti te posse putas; dum scire non uis, bonita-
5. tem dei ad resipiscendum te allicere? pro animi autem tui duritie & insanabili mente, ipse tibi poenam magis magisque auges in di-
6. em poenae, quo re ipsa declarabitur iustum dei iudicium; qui cui-
7. uis pro operum merito reddet. Illis quidem, qui fortiter operis
8. bonae gloriae & praemio & aeternitati student, uitam aeternam; importunis autem, et illis, qui non ueritatem, sed improbitatem se-
9. quuntur, excandescentia & ira. Miseria & angustia in omnem hominem facientem malum, Iudaeum inprimis, sed etiam Graecum:
10. gloria uero, & praemium, & pax omni agenti bonum, Iudaeo inprimis, sed etiam Graeco.

11. Apud deum enim nullus plane personarum respectus est.
12. Nam qui legem scriptam non habentes peccarunt, sine lege scripta perdentur; & etiam qui legem scriptam habentes, peccarunt,
13. per legem damnabuntur (non enim auditores legis iusti habentur apud deum, sed qui satis faciunt legi, iusti erunt. Quando etiam
14. inter gentes, quae legem scriptam non habent, non nulli naturae bonitate ea, quæ legis sunt, interdum faciunt; illi, legem scriptam non habentes, ipsi sibi lex sunt.

15. Illi ipsi enim eo ostendunt, id quod lex scripta poscit in animis suis scriptum esse, quod ipsa conscientia factorum illis testimonium dicit, dum cogitationes etiam inter se accusant se, uel de-
16. fendunt) in die, quo deus de occultis etiam hominum iudicabit per Iesum Christum, secundum euangelium, quod profiteor.

17. Ecce, tu Iudaei cognomine insignitus es, et maximam spem
18. in scriptae legis possessione positam habes; gloriaris etiam de deo,
19. & nosti, quae uelit ille, quae nolit, edoctus a lege. Confidis, ducem te caecorum esse; lumen eorum, qui in tenebris uersentur;
20. paedagogum eorum, qui intelligentia non admodum ualeant; doctorem

rem imperitorum; quod per legem sapiens & ueritatis gnarus efficiaris. Quid igitur, qui docere alios uis, ipse te non doces? cur 21.
qui clamas, noli furari, ipse furaris? quare, qui praecipis, noli scortari, 22
scortaris ipse? qui idola abominaris, sacrilegium committis? qui de
lege gloriaris, dei nomen per legis uiolationem dehonestas? Ves- 23.
tri enim caussa calumniantur gentes nomen dei, uti scriptum est. 24

OBSERVATIONES.

vs. 32.

Οἵτινες τὸ δικαίωμα τοῦ θεοῦ ἐπιγνόντες, ὅτι οἱ τὰ τοιαῦτα πράσσοντες ἄξιοι θανάτου εἰσὶν· οὐ μόνον αὐτὰ ποιοῦσιν, ἀλλὰ καὶ συνευδοκοῦσι τοῖς πράσσουσιν.

Scio interpretes haec itidem ad gentes referre, de quibus apostolus adhuc locutus fuerat: sed omnino ad Iudaeos pertinent; quos aeque ac gentes reliquas peccatores esse, demonstrare iam incipit. Neque gentes uero, neque Iudaeos etiam suis nominibus appellat, quia communi *τῶν ἀνθρώπων* appellatione supra *vs.* 18. usus fuerat. Hic autem ad Iudaeos a gentibus transire apostolum, manifestum est ex uerbis, *τὸ δικαίωμα τοῦ θεοῦ ἐπιγνόντες*, qui Iudaei sunt; ut supra *ἐν οἷς τὸ γνωστὸν τοῦ θεοῦ φανερόν ἐστιν*, gentes. Et idem hoc probant *verss.* 9. 10. 12. 13. 17.-29. huius capitis. Qua enim ratione Iudaeos in sequentibus appellare posset Paullus, si in antecedentibus de illis locutus non fuisset? Ex his autem, quae adhuc diximus, uides etiam, his uerbis noui capitis initium faciendum esse; minime illis *διὸ ἀναπολόγητος εἶ κ. τ. λ.*

Τὸ δικαίωμα τοῦ θεοῦ iusta legis sunt, Iudaicae genti a deo datae. Vide infra *vers.* 6. & VIII. 4. ubi Io. Clericum lege. adde apud LXX. Num. XXX. 17. XXXI. 21. Deut. IV. 14.

Ὅτι οἱ τὰ τοιαῦτα πράσσοντες ἄξιοι θανάτου εἰσίν. Haec declarant *τὸ δικαίωμα τοῦ θεοῦ.* Itaque neutiquam parenthesi includi debent, quod fecerunt editores multi; & uoluit etiam Christoph. Wolle, V. C. *de Parenth. Sacr.* p. 41. Varia autem sunt legis ueteris loca, ad quae respicere his potuit Apostolus. Vide inprimis Leuit. XVIII. 3. seq. Deuter. XXVII. 5. seq.

Οὐ μόνον αὐτὰ ποιοῦσιν, ἀλλὰ καὶ συνευδοκοῦσι τοῖς πράσσουσι, Clem. Rom. *Ep.* I. *ad Corinth.* 35. Ταῦτα γὰρ οἱ πράσσοντες συγγενοὶ τῷ θεῷ ὑπάρχουσιν· οὐ μόνον δὲ οἱ πράσσοντες αὐτὰ, ἀλλὰ καὶ οἱ συνευδοκοῦντες αὐτοῖς. Caeterum Io. Millius ex codicum uarietate horum uerborum eam conficit lectionem, quam omnino ueram putat: Οἵτινες τὸ δικαίωμα τοῦ θεοῦ ἐπιγνόντες, οὐκ ἐνόησαν ὅτι οἱ τὰ τοιαῦτα πράσσοντες ἄξιοι θανάτου εἰσίν· οὐ μόνον δὲ οἱ ποιοῦντες αὐτὰ, ἀλλὰ καὶ οἱ συνευδοκοῦντες τοῖς πράσσουσιν. Sed plane nihil mutandum est. Vulgatam lectionem unice ueram esse, nostra eius explanatio satis probat. Millio falsa horum uerborum interpretatio, de eorum integritate dubitandi materiam dedit.

vs. 1.

ὁ κρίνων.

Erant omnino Iudaei κρίνοντες, qui gentes alias *peccatorum* contemto nomine appellare solebant, quod colligi potest ex ad Gal. II. 15. ἡμεῖς φύσει Ιουδαῖοι, καὶ οὐκ ἐξ ἐθνῶν ἁμαρτωλοί.

vs. 2.

κατὰ ἀλήθειαν.

Αλήθεια est ipsa rei cuiusuis ratio ac natura. Κρῖμα κατὰ ἀλήθειαν iudicium est, quod ipsam rei rationem ac naturam, neutiquam uero externam speciem sequitur. Huic opponitur κρῖμα κατὰ πρόσωπον Illustris locus est Aeliani, Var. Hist. XIV. 34. quem uide. Ita Romani etiam. Plinius *Lib.* IX. *Ep.* 25. *f.* 2. *uirum uerissimum* uocat, qui in iudicando nihil plane adulationi dat; Paullus noster τὸ κρῖμα τοῦ θεοῦ esse κατὰ ἀλήθειαν, si dicit, ἐπὶ τοὺς τὰ τοιαῦτα πράσσοντας, monet Iudaeos, ne nimium suis originibus tribuant; deum enim in iudicando ipsorum factorum rationem, non personas, utrum scilicet Iudaeus quis, an uero ex gentibus sit, respicere.

vs. 4.

καταφρονεῖς.

Despiciunt & parui aestimant bonitatem dei, tolerantiam & animi lenitatem, qui bonum esse ipsum tantum, non etiam iustum cogitant; & hinc diuina bonitate abutuntur, dum illa ad saniorem mentem

tem adduci se non patiuntur; sed, quod non statim puniri se uident, securi peccare pergunt. Isti, quam inepte & deo indigne de deo sentiant, re ipsa & factis declarant. Vides inde, alienum esse, cum quibusdam ante uocem ἀγνοῶν uoculam ἢ repetere uelle; nam illa ἀγνοῶν ὅτι κ. τ. λ. antecedens καταφρονεῖς declarant.

Ibid.

ἀγνοῶν ὅτι τὸ χρηστὸν τοῦ θεοῦ εἰς μετάνοιάν σε ἄγει

Dum scire non uis, bonitatem dei ad resipiscendum te allicere. Dei uero bonitas ad resipiscendum nos allicit; quum quaecunque nobis in uita eueniunt, felicitatem nostram uel augeant, uel infelicitatem minuant; & deus puniendo etiam benigne agat. uid. Vener. Reuschius, *Introduct. in Theol. Reuel.* §. DLXXXV. p. 1059. Sentiet hoc quicunque fata, quae per omnem uitam expertus est, reputare secum diligenter & uere uoluerit. Quam multa ibi reperiet, quae quamuis aduersa olim uisa fuerint, re uera tamen bona ipsi & salutaria fuisse, ex euentu demum didicit! Quam multa etiam erunt, quae quantis periculis inuoluta fuerint, tunc demum sensit, ubi illa euasit! Eiusmodi autem uitae & fatorum consideratio non potest non hominem de sua imprudentia & imbecillitate monere; ipsumque ad summi numinis sapientiae ac bonitatis admirationem adducere. Tunc uero incipit homo μετανοεῖν, *resipiscere;* si ita sapientiam & bonitatem dei admirari incipit, ut nihil plane suae sapientiae aut uiribus tribuat, sed totum se deo & ipsius gratiae permittat; suam imbecillitatem agnoscat, dei μακροθυμίαν ueneretur.

vs. 5.

θησαυρίζεις σεαυτῷ ὀργὴν ἐν ἡμέρᾳ ὀργῆς

Dum scilicet plane ut bestia, omnis rationis expers, uiuis; ad nihil eorum, quae in uita tibi eueniunt, animum aduertens. Nam qui ita uiuit, omnem omnino gratiae diuinae locum praecludit. Obdurescit enim tandem ipsius animus ad μετάνοιαν. Ita uero minus in dies capacem se efficit homo stolidus τῆς χάριτος τοῦ θεοῦ; & ipse sibi θησαυρίζει ὀργήν.

vs. 7.

Landesbibliothek Oldenburg

vs. 7. 8. 9.

Τοῖς μὲν καθ' ὑπομονὴν ἔργου ἀγαθοῦ, δόξαν καὶ τιμὴν καὶ ἀφθαρσίαν ζητοῦσι, ζωὴν αἰώνιον. Τοῖς δὲ ἐξ ἐριθείας, καὶ ἀπειθοῦσι μὲν τῇ ἀληθείᾳ, πειθομένοις δὲ τῇ ἀδικίᾳ, θυμὸς καὶ ὀργή. θλῖψις καὶ στενοχωρία ἐπὶ πᾶσαν ψυχὴν ἀνθρώπου, τοῦ κατεργαζομένου τὸ κακὸν Ιουδαίου τε πρῶτον καὶ Ελληνος.

Καθ' ὑπομονὴν uerti debet *fortiter*. Frequens apud Graecos τοῦ κατά cum nomine quodam usus est, ubi Romani aduerbium ponunt. Sic apud Theophr. *Char. Eth. Pröem.* κατὰ γένος est *generatim*. Apud Aelian. *Var. Hist.* I. 3. κατὰ πολύ, *maxime*. Act. XIX. 20. κατὰ κράτος, *ualde* Philipp. III. 14. κατὰ σκοπὸν *intente*.

De uoce ὑπομονῆς obserues, quae Erasmus *ad Ep. ad Hebr. Cap.* X. notauit; illam non simpliciter patientiam denotare, qua toleramus mala, sed patientem expectationem, quum spe praemii ducamur in malis, & nos rebus melioribus seruamus.

Vulgata autem horum uerborum interpunctio ferri non potest. Assentior omnino Bezae & Hertzogio, in *Obseruatt. de Positu Interp. in Ep. ad Rom.* qui, sublato commate, uoces ἀγαθοῦ ἔργου cum illis δόξαν καὶ τιμὴν καὶ ἀφθαρσίαν coniungunt. Et hos praeter rem hoc nomine reprehendi uideo a b. Wolfio, *in Curis ad h. l.* p. 39. sq. *Nusquam*, dicit uir eruditissimus, *uideo in* N. T. *afferri* δόξαν ἀγαθῶν ἔργων, *nec perspicio, quomodo bono operi* ἀφθαρσία *tribui possit, quae tamen, si nouam illam interpunctionem admittas, cum uocibus* ἔργου ἀγαθοῦ *coniungenda esset.* Illustrabimus, ut his fiat satis, apostoli uerba diligentius. Loquitur uero ille de iis, qui nulla omnino re, nullis commodis, nullis etiam incommodis in illustrandae gloriae diuinae studio turbari se patiuntur, & ita καθ' ὑπομονὴν, *fortiter*, ἔργῳ ἀγαθῷ student. Ἔργου ἀγαθοῦ gloria est, ex bono opere in agentem redundans; non semper apud homines, sed maxime apud deum. Hi, de quibus apostolo sermo est, ἔργου ἀγαθοῦ δόξαν καθ' ὑπομονὴν ζητοῦσιν, quum a uirtutis studio deduci se non patiantur, etiam si hac in uita, pro gloria, qua ipsorum uirtus digna est, contemtu excipi se uideant: nolunt enim hominibus placere, sed deo, τῷ δοκιμά-

δοκιμάζοντι τὰς καρδίας αὐτῶν, 1. Thesſ. II. 4. Eadem ratione quaerunt τιμήν, *praemium*, ἔργου ἀγαθοῦ, ſeruatoris ſui promiſſionem cogitantes, γίνου πιστὸς ἄχρι θανάτου, καὶ δώσω σοι τὸν στέφανον τῆς ζωῆς, *Apoc.* II. 10. Denique *fortiter* ἔργου ἀγαθοῦ ἀφθαρσίαν quaerunt; dum neutiquam τὰ βλεπόμενα reſpiciunt, ſed τὰ μὴ βλεπόμενα· τὰ γὰρ βλεπόμενα πρόσκαιρα· τὰ δὲ μὴ βλεπόμενα αἰώνια, 2. Cor. IV. 18. Et hanc ipſam interpunctionem firmat S. Theophilus *ad Autolyc.* I. p. m. 41. ed. Oxon. τοῖς μὲν ſcribens, καθ' ὑπομονὴν διὰ ἔργων ἀγαθῶν ζητοῦσι τὴν ἀφθαρσίαν, δωρήσεται ζωὴν αἰώνιον, χαρὰν, εἰρήνην, ἀνάπαυσιν, καὶ πλήθη ἀγαθῶν, ὧν οὔτε ὀφθαλμὸς εἶδεν, οὔτε οὖς ἤκουσεν, οὔτε ἐπὶ καρδίαν ἀνθρώπου ἀνέβη. *His quidem, qui in patientia, per bona opera, quaerunt immortalitatem, donabit uitam perennem, gaudium, pacem, requiem, & abundantiam bonorum, quae oculus non uidit, nec auris audiuit, neque in cor hominis aſcenderunt.*

Voces θυμὸς καὶ ὀργὴ in editis uerſum octauum finiunt, hunc in modum: τοῖς δὲ ἐξ ἐριθείας καὶ ἀπειθοῦσι μὲν τῇ ἀληθείᾳ, πειθομένοις δὲ τῇ ἀδικίᾳ θυμὸς καὶ ὀργή. Sed 1.) uersus octauus cum ſeptimo iungitur per particulam δὲ, quum ſuperius antecesſerit μέν. Iam igitur uerbum ἀποδώσει, quod ſuperiori uerſu quartum caſum habuit, ζωὴν αἰώνιον, hoc etiam in commate accuſatiuum requirit. Neque enim ſatisfaciunt nobis, qui hic uerbum ἔσαι ſubintelligunt, quod primus fecit, b. Io. Conr. Swartzius, *de ſoloecismis discipp. Iesu Chr. antiquatis*, p. 92. & ſecutus est b. Wolfius, *l. c.* Etenim 2.) quum uerſus nonus & decimus inter ſe opponantur, & apostolus θυμῷ καὶ ὀργῇ opponat δόξαν καὶ τιμήν; illis uero, θλῖψει καὶ στενοχωρία, τὴν εἰρήνην; palam est, uerba θυμὸς καὶ ὀργὴ ad uerſum nonum referenda esſe, & ab octauo per distinctionem maiorem ſeparanda. Scilicet abrumpit Noster ſermonem in animi affectu. Post uerba autem πειθομένοις δὲ τῇ ἀδικίᾳ ſubintelligi ζωῆς αἰωνίου oppoſitum debet. Et ita loquuntur grauisſimi uiri. CIC. *ad diuers.* XIV. 3. *Si perficitis quod agitis, me ad uos uenire oportet: ſin autem. Sed nihil opus est reliqua ſcribere.* Idem *ibid.* 4. *Quodſi nos ad aliquam alicuius commodi aliquando recuperandi ſpem fortuna reſeruauit, minus est erratum a nobis. Si haec mala fixa ſunt. Ego uere te, quam primum, mea uita, cupio uidere, caet.*

vs. 9.

Ιουδαίου τε πρῶτον.

Nam ἐκεῖνος ὁ δοῦλος ὁ γνοὺς τὸ θέλημα τοῦ κυρίου ἑαυτοῦ, καὶ μὴ ἑτοιμάσας, μηδὲ ποιήσας πρὸς τὸ θέλημα αὐτοῦ, δαρήσεται πολλάς· ὁ δὲ μὴ γνοὺς, ποιήσας δὲ ἄξια πληγῶν, δαρήσεται ὀλίγας. Luc. XII. 47. 48. Recte Chrysost. *Hom. V. in Ep. ad Rom.* ὅσῳ πλείονος ἀπήλαυσε τῆς ἐπιμελείας (ὁ Ιουδαῖος), τοσούτῳ μείζονα δώσει δίκην.

vs. 11.

Οὐ γάρ ἐστι προσωποληψία παρὰ τῷ θεῷ

Vtrum scilicet Iudaeus quis sit, an uero Graecus. Sic Petrus *Act.* X. 34. 35. ἐπ' ἀληθείας καταλαμβάνομαι, ὅτι οὐκ ἔστι προσωπολήπτης ὁ Θεός· ἀλλ' ἐν παντὶ ἔθνει ὁ φοβούμενος αὐτὸν, καὶ ἐργαζόμενος δικαιοσύνην, δεκτὸς αὐτῷ ἐστιν· igitur etiam ἐν παντὶ ἔθνει ὁ μὴ φοβούμενος αὐτὸν, ἀλλ' ἐργαζόμενος ἀδικίαν ἀπολεῖται. Tangit autem id, quod Paullus hic dicit, maxime iudaeos; qui mirum quantum sua ab Abrahamo origine elati fuerint. Hinc Ioannes etiam baptista *Matth.* III. 7.-10. Γεννήματα ἐχιδνῶν, τὶς ὑπέδειξεν ὑμῖν φυγεῖν ἀπὸ τῆς μελλούσης ὀργῆς; Ποιήσατε οὖν καρποὺς ἀξίους τῆς μετανοίας. Καὶ μὴ δόξητε λέγειν ἑαυτοῖς· Πατέρα ἔχομεν τὸν Αβραάμ. λέγω γὰρ ὑμῖν, ὅτι δύναται ὁ Θεὸς ἐκ τῶν λίθων τούτων ἐγεῖραι τέκνα τῷ Αβραάμ. Ηδη δὲ καὶ ἡ ἀξίνη πρὸς τὴν ῥίζαν τῶν δένδρων κεῖται· πᾶν οὖν δένδρον μὴ ποιοῦν καρπὸν καλὸν, ἐκκόπτεται, καὶ εἰς πῦρ βάλλεται. Quid, quaeso, aliud uult his uerbis Ioannes, quam monere Iudaeos, ne nimis suis originibus confidant, & ne illis tutos se ab ira & poenis diuinis reddi opinentur.

vs. 13.

οὐ γὰρ οἱ ἀκροαταὶ τοῦ νόμου δίκαιοι παρὰ τῷ θεῷ.

Ακροατὴν h. l. non solum *auditorem* legis denotare, sed *lectorem* etiam, b. Wolfius *in Curis ad h. l.* obseruat, qui Raphelii *Annotat. Polybianas*, p. 420. laudat. Puto uero hac uoce apostolum ad lectionem legis in synagogis Iudaeorum maxime respicere.

vs. 14.

Φύσει τὰ τοῦ νόμου ποιῇ.

S. Ignatius, *epist. ad Ephes. Cap.* 8. οἱ σαρκικοὶ τὰ πνευματικὰ πρᾶσσειν οὐ δύνανται, οὐδὲ οἱ πνευματικοὶ τὰ σαρκικά· ὥσπερ οὐδὲ ἡ πίστις τὰ τῆς ἀπιστίας, οὐδὲ ἡ ἀπιστία τὰ τῆς πίστεως. Recte obseruat Cel. Elsnerus *ad h. l. Obseru. sacr.* Tom. II. p. 16. subaudiri debere ἔργα in huiusmodi locutionibus: sed de ipsa uerborum

Paulli

Paulli expoſitione aſſentiri uiro doctiſſimo non poſſum. Nam ut cum illis ſentiam, qui apostolum hic gentibus actiones legi conformes tribuere dicunt, ſermonis inprimis ſeries facit. Optime b. Wolfius *in Curis ad h. l.* p. 43. *Quamuis ante regenerationem nihil praeſtare poſſimus, quod legi exacte reſpondeat, & deo gratum ſit, gentiles tamen aliqua praestare poſſunt, quae lege naturae praecepta ſunt, & in tantum legi diuinae, quamuis illa & ampliori & perfectiori modo praestanda postulet, conformia. Quam in rem notari par est, Apostolum hic dicere, Gentiles* ποιεῖν τὰ τοῦ νόμου, *id est* quaedam quae ſunt legis, *non autem, quod alias facit,* τὸν νόμον.

vs. 15.

τὸ ἔργον τοῦ νόμου

Non puto neceſſum nos habere, ut τὸ ἔργον τοῦ νόμου cum b. Wolfio *l. c.* p. 44. poſitum hic dicamus pro τὸν νόμον ſimpliciter. Τὸ ἔργον τοῦ νόμου γραπτὸν ἐν ταῖς καρδίαις αὐτῶν, est, ſciunt (ſcilicet multis in rebus), quid uerum, quid falſum, ideoque id, quod legi conforme est, licet legem in tabulis ſcriptam non habeant. Εργον τοῦ νόμου est, quod legi conforme est, & hinc dici ἔργον τοῦ νόμου potest, etſi, qui facit, ex ſcripta lege illud non cognouerit.

Ibid.

γραπτὸν ἐν ταῖς καρδίαις αὐτῶν.

Efficax loquendi forma. Indicat, ea, quae lex ſcripta Iudaeos iubet, gentibus non ex aliorum praeceptis aut doctrina innotuiſſe; ſed naturam ipſam illos magistram habere. Deinde illud γραπτὸν ita notum ipſis eſſe τὸ ἔργον τοῦ νομου, innuit, ut plane ignorare & ex animo dimittere illud non poſſint, etiamſi uelint. Cic. de *N. D.* II. 5. *omnibus innatum est, & in animo quaſi inſculptum, eſſe deos.* Similiter Terent. *Andr.* I. 5. 48. *ſcripta illa dicta ſunt in animo Chryſidis de Glycerio.* Ad phraſin Paullinam accedit Clem. Rom. *Ep. ad Corinth.* I *cap.* 2. extr. Τὰ προσάγματα τοῦ Κυρίου ἐπὶ τὰ πλάτη τῆς καρδίας ὑμῶν ἐγέγραπτο. ubi Iunium uide.

vs. 16.

τὰ κρυπτὰ τῶν ἀνθρώπων.

Nam, ut apostolus ſcribit 1. Tim. V. 24. τινῶν ἀνθρώπων αἱ ἁμαρτίαι πρόδηλοί εἰσι, προάγουσαι εἰς κρίσιν· τισὶ δὲ καὶ ἐπακολουθοῦσιν. Quam multa ſunt κρυπτὰ in hac uita; inprimis quum cogitationibus etiam, & animi conſiliis peccata admittantur plurima! Deum uero latere nihil ualet.

Landesbibliothek Oldenburg

vs. 17.

Ιουδαῖος ἐπονομάζῃ

B. Wolfius *in Curis* & b. Gothofr. Olearius *in Praelectionibus Mss. ad h. l.* eodem Wolfio teste, *Iudaeus es.* Ita Graecis καλεῖσθαι saepius significare *esse*, obseruauimus olim *in spicilegio Obseru. ad Phaedri Pr. Libb.* II. §. X. Sed hoc in loco illud ἐπονομάζῃ uim paullo maiorem habere uidetur. Sensit hoc iam Io. Clericus; qui *ad h. l.* scribit, *hoc ergo uult Paullus: notissimum est omnibus te esse Iudaeum, seu Mosis sectatorem, hoc prae te fers, & gloriaris.* Nos optime ad Paulli mentem uerti haec posse putamus, *tu Iudaei nomine insignitus es.* Tangit uero apostolus Iudaeorum arrogantiam, qui quantum suis originibus & cognomini tribuerint, notum est. uid. supra ad vs. 11.

vs. 21.

Ο οὖν διδάσκων ἕτερον, σεαυτὸν οὐ διδάσκεις; κ. τ. λ.

Absque nota interrogationis haec leguntur in P. 2. & ita olim iam legisse nonnullos, Oecumenius testatur. Sic Herzogius etiam *in Obs. de Positu Interpunct. in Ep. ad Rom.* p. 6. interrogationis signa nullo modo in his ferri posse, opinatus est. Equidem non nego, etiam sine interrogatione efferri haec posse; interrogationem uero reprehensioni uim omnino addere, cum Erasmo Schmidio & b. Wolfio sentio.

vs. 24.

Τὸ γὰρ ὄνομα τοῦ Θεοῦ δι' ὑμᾶς βλασφημεῖται ἐν τοῖς ἔθνεσι, καθὼς γέγραπται.

Caue credas, apostolum hic ad unum codicis Veteris Testamenti locum prouocare. Iisdem uerbis nullibi haec leguntur; sed uaria prophetarum dicta recipiunt. Et hinc postposuit Paullus illa, καθὼς γέγραπται; quae, ubi certum aliquem & unum ueteris codicis locum prae oculis habuit, fere praeponere solet. Inprimis tamen ad Iés. LII. 5. & Ezech. XXXVI. 23. respexisse diuum apostolum, obseruarunt iam uiri docti. Vide Surenhusium in Βίβλῳ καταλλαγῆς p. 437. & interpretes *ad h. l.*

Landesbibliothek Oldenburg

Landesbibliothek Oldenburg



Landesbibliothek Oldenburg

nibus et Omnium

Farbkarte #13
B.I.G.
Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black
Inches
Centimetres

Landesbibliothek Oldenburg